

## II

UN FORMULARIO LATINO DE LA CANCELLERÍA REAL  
ARAGONESA (SIGLO XIV)<sup>1</sup>*(Continuación.)*CXIV.—*Regi super mittenda sorore domini Regis ad partes Cathalonie.*

Negotiorum imminens multitudo que a tempore nostri novi domini<sup>2</sup> mentem<sup>2</sup> nostram et animum occupavit, nos vaccare prohibuit circa negotia inclite infantisse..., sororis nostre lexitime, olim Romanie dompine quam, ejus viro humanis rebus abducto, regredi disposuimus ad has partes. Sane in hoc noster spiritus requievit, scientes vos in illam, post obitum specialiter viri sui de quo vestre magnificentie gratiarum exsolvimus actiones, benigni patris officium compensare; verum quia fraterne dilectionis vinculum quo invicem jungimur curas nostras non deserit, seu circa statum ejus nos jugiter cogitare compellit, consideravimus diversas vias et modos quibus ad nos infantissa predicta salubriter duceretur. Set, cum guerra inter subditos nostros et improbos januenses ad invicem suscitata se nobis in hiis reddiderit et reddat multum infesta, demum deficientibus aliis, occurrit nobis predictae infantisse tutissimum ut cum galeis vestris usque ad... civitatem transducatur. Quocirca serenitatem vestram regiam intimo deprecamur affectu quatenus, ex debito naturali quo invicem unimur inducti et specialiter honore nostri qui vester dinoscitur in hac parte, placeat dictam infantissam sub tali comitiva et cum illis galeis et lignis, que illius decentie et utriusque nostrum honori congruit, ad civitatem transmittere supradictam, nos enim illam ab inde ad partes nostri domini honorifice, actore domino, faciemus reduci. Datum etc.

CXV.—*Regine super eodem.*

Negotiorum imminens multitudo etc., ut supra, usque ad, "Set, cum guerra"; mutatur tantum materia, sic: Set impedimento guerre gentium nostrarum et januensium reputavimus nobis et dicte infantisse tutissimum ut cum galeis et lignis illustris domini..., avunculi nostri virique vestri lexitimi, usque ad... civitatem transducatur, unde, cum super hiis predicto Regis nostras deprecatorias litteras dirigamus, serenitatem vestram intima cordis affectione precamur quatenus cogitantes, si placet, quantum vobis et nobis deceat et expediat predictae infantisse tutus ad has partes reditus et regressus, placeat efficaciter intercedere ac dare

<sup>1</sup> La primera parte fué publicada en el último tomo del ANUARIO (1929).

<sup>2</sup> *Mententem*, en el texto.

operam, cum effectu, quod dictus Rex dictam infantissam, sub tali comitiva et cum illis galeis et lignis que illius decentie et utriusque nostrum honori congruerit, mittat ad... civitatem supradictam, nos enim illam ab inde ad partes nostri domini honorifice, actore domino, faciemus reduci. Datum etc.

CXVI.—*Infantisse super eodem.*

Licet negotiorum pluralitas, que a tempore nostri novi domini undique confluent, sic mentem nostram et animum occupavit ut circa status vestri negotia juxta nostrum desiderium plene vaccare nequiverit, verumtamen curas nostras fraterne dilectionis vinculum non omisit, quin, egregio viro vestro humanis rebus abducto, cogitarem vias et modos quibus persona vestra ad nostram presentiam salubriter transferretur; set, guerra subditorum nostrorum et januensium improborum impedimentum prestante, votum nostrum adimpleri non potuit in hac parte. Nunc autem, considerantes attentius quod cum galeis et lignis illustris domini Regis..., comunis avunculi, potest melius procurari vester ad nos reditus et regressus, nostras sibi dirigimus litteras, per quas ipsum affectuose rogamus ut cum comitiva decenti et illis galeis et lignis, que decentie vestre et utriusque nostrum honori congruerit, ad ... civitatem vos transmittat, nam nos ab inde ad partes nostri domini vos, actore domino, faciemus reduci. Datum etc.

CXVII.—*De tractando matrimonio inter quendam fratrem spurcum domini Regis et quendam puellam.*

Magnificentie regie presentium tenore defferimus quod, dum olim serenissimus dominus... clare memorie Rex genitor noster, talis regni gubernaculis presidebat, ex quadam nobili muliere genuit quendam filium nomine... nuncupatum, qui tanquam ex regali descendens progenie, dum metas juventutis attingeret, factus elegans corpore et animo strenuus progenitorum sequens vestigia gestu et habitu conspicui generis incidia prefferbat; sed cum, injuriarum impatiens, non posset cum domino illustri..., Rege..., patruo nostro legitimo, impediente justitia remanere, ad Regem Marrochitarum se transtulit et cum eo per aliqua tempora sibi multum gratus permansit et nunc etiam valde placidus residet cum eodem. Sane, cum nos ducti carnalis amoris affectu et audito preconio fame sue multis probitatis<sup>3</sup> titulis divulgato vehementer optemus ipsum nostris et vestris obsequiis adherere et a dicti Regis damnato servicio revocare, cogitavimus per matrimonii vinculum cum in istis partibus alligari; set, cum ad presens in regnis et terris nostris non reperiat competens et accomodum matrimonium pro eodem, idcir-

3 Por *probitatis*.

co magnificentiam vestram ex corde precamur quatenus honore nostri procurari et tractari jubeat vestra serenitas, cum effectu, quod filia... quoque civis... civitatis, predicto... per matrimoni federa copuletur; nos enim sic intendimus illi largiffiue providere, quod pro parte nostra amicis puelle pro constanti poteritis polliceri quod honoriffice poterunt vivere et gaudebunt non immerito hujusmodi connubio adhesisse. Super quibus mittimus magnitudini vestre ...et..., quibus per vos, sicut hiis, petimus fidem credulam adhiberi. Datum etc.

CXVIII.—*Cuidam consiliario dicti Regis super eodem.*

Paternitati vestre presentium tenore defferimus quod, dum olim serenissimus etc., prout superius, usque finitur "copuletur". Sane, cum super dicto matrimonio contrahendo illustri... Regi et... filie nostre Regine conjugii sue nostras litteras dirigamus, eos affectuose rogantes ut ipsum matrimonium procurent et jubeant ad effectum perducere, ea propter paternitatem vestram affectuose rogamus quatenus, honore nostri, circa consumationem predicti connubii, quod multum insidet cordi nostro, vestra, si placet, studia sedule convertendo ac interponendo efficaciter sollicitudinis vestre partes quod apud illustres Regem et Reginam predictos et predictae puelle consanguineos et amicos sollicitis monitis et exortationibus inductivis velitis insistere, quod per vestram sollicitam diligentiam et industriam diligentem predicti feliciter conjugantur. Magnum enim nobis in hoc facietis obsequium, quod regraciabimur vobis multum; credendo super hoc... et..., quos ad partes illas propterea destinamus. Datum etc.

CXIX.—*Cuidam consanguineo dicte puelle vel aliis super eodem.*

Significamus vobis quod, dum olim serenissimus etc. usque ad locum predictum. Sane, intendentes quod ex dicti... connubio, adeo nobis et illustri... Regi conjuncti, tam dicte puelle quam omnibus ejus consanguineis et amicis honoris et status incrementa magna provenient et favor multiplex gratiarum, idcirco vos attente precamur quatenus, nostris vos, super hoc, beneplacitis pro dicte puelle utilitate prospera captando et hujusmodi conjugium gratis effectibus amplectendo, procuretis, cum effectu, quod ipsum matrimonium inter predictos ad invicem contrahatur. Nos enim sic dicto... amplis ex regali munificentia largitionibus intendimus providere, quod juxta sui status decenciam magnifice poterit vivere, et vos et alii consanguinei dicte puelle gaudebitis non immerito jam dicto matrimonio adhesisse; credendo, super hoc, etc. ut supra. Datum etc.

CXX.—*De missis domino Regi jocalibus per dictum ejus fratrem.*

Grata plurimum et accepta in regali conspectu speciosa jocalia et alia omnia, que per fideles nostros... et... nobis noviter transmissistis, clari vultu ac leto corde recepimus, mittentes affectionem debitam multipliciter comedantes; et quia ob reverentiam et honorem nostri recolende memorie genitoris ac debitum quo nobis estis astrictus, suadente nihilominus fame vestre preonio que multe probitatis nos predicat circumfultum, vos intendimus prosequi favore multiplici gratiarum, ad quod jam propositum nostrum convertimus et nostras direximus actiones, volumus et vobis mandamus quatenus actus vestros de bono in melius prosequendo vestra prudenter negotia dirigatis taliter quod, cum ordinaverimus et mandaverimus, sitis paratus ad nostram presentiam vos conferre. Nos enim, per predictos, nostrum vobis in brevi scribemus propositum voluntatis. Datum etc.

CXXI.—*Baiulia generalis.*

Confidentes de fide, industria et legalitate vestri, fidelis nostri..., comittimus, sive comedamus vobis officium baiulie generalis... provincie per vos regendum et exercendum et tenendum, bene et legaliter, ad honorem et servitium nostrum et jurium nostrorum conservationem, ita quod vos sitis baiulus generalis... provincie et presitis aliis baiulis universis et singulis in... provincia tam in civitatibus quam locis aliis constitutis, et exerceatis officium ipsius baiulie, bene et legaliter, prout ipsum assuetum est exerceri per alios baiulos, qui fuerunt in officio supradicto, videlicet, ut vendatis redditus nostros vel ipsos comitatis, si magis utile videritis, colligendos, et recognoscatis ac inquiratis de juribus et censualibus nostris, et faciatis capibrevia de eisdem, et possitis etiam ponere baiulos per loca dicte baiulie, ac eos amovere et alios subrogare, prout vobis ad utilitatem nostram melius videbitur expedire, exceptis... et..., que Regina tenet ex regis concessionibus, et aliis in quibus ex concessione regia possint baiuli ordinari, et exceptis etiam locis in quibus sint baiuli per nos cum cartis nostris statuti, seu statuendi, quos sine nostra conscientia nolumus amoveri. Volumus tamen et ordinamus quod, licet in predicta civitate..., que dicta Regina tenet, aut aliis locis etiam que alii de cetero tenebant ex obligatione vel concessione nostris temporalibus, vos baiulos non ponatis, pro conservatione tamen jurium nostrorum et ne ipsa jura valeant deperire, faciatis inde capibrevium vel memoriale fieri in scriptis, ut de eis memoria perpetuo habeatur; de predictis autem omnibus et singulis, cum magistro rationali curie nostre, aut alio quem mandaverimus et voluerimus, teneamini computare et tradere computa que receperitis a baiulis et subbaiulis supradictis, nos enim mandamus per presentes universis baiulis et subbaiulis in universis et singulis lo-

cis... provincie constitutis quod vobiscum computent, cum per vos fuerint requisiti, vobisque respondeant de omnibus redditibus, exitibus et proventibus ex officio eorundem vosque ad hoc ipsos in personis et bonis, si necesse fuerit, compellatis. Et, preter hoc, addimus huic officio vestro quod sitis exactor et recuperator omnium et singulorum debitorum et jurium nostrorum qui nobis debeantur ab aliquibus personis cristianis, judeis et sarracenis, ratione, scilicet, mutuorum a nobis vel predecessoribus nostris prestitorum, vel ratione officiorum aut aliorum quorumlibet que pro nobis receperint, tenuerint et ministraverint aliqua ratione, vel in quibus aliqui ex predictis nobis tenentur aliis quibusdam de causis, et ad petendum etiam vobis hostendi et exhiberi computa que predicti nobis vel alii pro nobis reddiderunt, et ad exigendum et recipiendum ab eis omnia ea que apparuerint per ipsa computa nostre curie tornari seu refundi debere, et ad prohibendum et mandandum ex parte nostra officialibus nostris et omnibus emptoribus reddituum nostrorum quod non recipiant neque exigant aliqua debita que debeantur de temporibus preteritis, nisi hostendant vobis quod jam de ipsis debitis reddiderunt vobis <sup>4</sup>, vel alii loco vestri <sup>5</sup> computum et rationem, et ad injungendum pro parte nostra omnibus supradictis et singulis, qui computum non reddiderunt, quod veniant reddere computum et rationem coram vobis vel coram magistro rationali curie nostre, infra certum et competens tempus per vos eis prefigendum, sub certa pena, et ad custodiendum etiam ne res prohibite extrahantur de terra nostra, et ad procedendum contra illos qui de ipsis rebus extraxerint absque nostri licentia et permissu, dantes et concedentes vobis plenam potestatem quod loco nostri et vice nostra possitis petere et agere, in iudicio et extra iudicium, super predictis et quolibet predictorum et contra quascumque personas que aliquas possessiones, terras, seu hereditates vel aquas ac censuales, tam in feudum quam in emphiteosim, a nostra dominatione detineant occupata, que ad nos aliquo jure pertineant, et, prout utilius ad comoditatem nostre curie vobis videbitur faciendum, possitis componere et transigere ac definire nomine nostro super coloniis, seu penis pecuniariis, et super aliis etiam, prout casus evenerint, exceptis excessibus seu criminibus que ultimum supplicium seu mutilationem membrorum inducant, et exceptis etiam hereditatibus ac bonis stabilibus super quibus transigendi et componendi vobis adimimus potestatem; possitis etiam petere et recuperare, a quibuscumque detineantur, instrumenta publica, inquisitiones et alias scripturas nostras, seu pro nobis facientes qualibet ratione, et quoscumque detentores ipsarum compellere, seu compelli facere, ad tradendum et constituen-

4 Una corrección en la *u* hace que la lectura resulte dudosa entre *nobis* y *vobis*.

5 Puede leerse también *vestri*.

dum eas vobis, nomine nostro, et super predictis omnibus apocham facere de recepto et redere actiones nostras et jura illis qui vobis solutionem faciant contra quoscumque alios nobis obligatos et obnoxios ex causis predictis, et recipere et emparare et compellere et pignorare et penas imponere easque, si casus acciderit, exigere ac etiam extorquere, et insuper, in casibus quibus fuerint iudices assignandi, possitis iudicem vel iudices super predictis, vel aliquo, seu aliquibus predictorum assignare qui de ipsis cognoscant et ea terminent et decident. Nos enim volumus et concedimus vobis, quamdiu dicta officia exercueritis, habeatis pro provisione salarii et laboris vestri portionem et quatuor equitaturas ad rationem duorum solidorum Barchinonensium pro qualibet equitatura, dum fueritis in causa hujusmodi officii in terra Barchinone, et ad rationem XVIII denariorum Jaccensium pro qualibet equitatura, dum fueritis in terra Jacce, sicut datur in curia nostra. Volumus etiam et concedimus vobis quod, ad predicta jura nostra inquirenda et debita exigenda, possitis ponere et statuere personas idoneas, quibus possitis, auctoritate nostra, pro eorum labore aliquid, quod vobis videbitur, erogare, hoc enim discretioni vestre ducimus committendum. Mandamus itaque per presentem cartam nostram universis officialibus et subditis nostris, presentibus et futuris, quod predicta omnia firma habeant et observent et a vobis et subditis vestris assistant auxilio, consilio et favore, quandocumque et quotiescumque per vos inde fuerint requisiti; presentem autem commissionem nostram durare volumus, dum de nostre fuerit beneplacito voluntatis. In cujus rei testimonium etc.

CXXII.—*Super eodem de stabiliendis censualibus.*

Confidentes de fide et legalitate vestri, dilecti nostri baiuli generalis... provincie, concedimus et plenam damus licentiam et potestatem vobis quod vice et nomine et pro parte nostra concedatis, stabiliatas ac stabilire et concedere possitis, sive attributare, vel dare ad censum, ad utilitatem curie nostre, patua, domos, vinnas, ortos et quas-cumque alias possessiones nostras heremas et aygues leix, infra... provinciam situatas, ac etiam molendina, furnos et tabulas carniceriarum et alia etiam quelibet que pro parte nostra stabilienda fuerint ac etiam attributanda infra baiuliam predictam, nos enim quecumque stabilimenta sive attributamenta que per vos de predictis seu aliquo predictorum facta fuerint ad comodum, ut premititur, et utilitatem curie nostre, absque tamen juris prejudicio alieni, ratas et firmas esse volumus ac roboris obtinere perpetui firmitatem; retinemus tamen quod si predicta superius expressata, vel aliqua eorum, erant ita magna sive tanti valoris aut conditionis, propter quod nostra esset super hoc conscientia requirenda, vos inde nostram conscientiam consulatis et consulere de-

beatis. Mandamus igitur per presentem cartam nostram universis et singulis officialibus et subditis nostris, presentibus et futuris, quod predicta omnia et singula teneant firmiter et observent ac faciant observari, ut superius continetur. In cujus rei testimonium etc. Datum etc.

CXXIII.—*De eodem super feudis.*

Inter cetera quibus regiam decet curam intendere, illud velut precipuum est cavendum attentius ne pereant acquisita, ea potissime, ex quorum conservatione regius honor utique conservatur. Cum igitur invenerimus quod feuda, que ad nos in... provincia pertinent, fuerunt multipliciter ex alienationibus et aliter illicite diminuta quodque in et super eis jura nostra, tam fatiche, quam laudimii, quam servicii, quam alia nobis ratione domini pertinentia frequenter pereunt, minuuntur et patiuntur lesionem enormem ob injuriam, fraudem et negligentiam aliorum, eapropter circa hec, sicut et alia, corone nostre jura ut caveantur a noxiis, provisione provigili providere volentes, vos dilectos nostros... et..., amoto? ex causa..., de quorum fidelitate legalitate et industria confidimus ab experto, regimini atque cure feudorum omnium, que habemus in... provincia, tenore presentis carte nostre duximus assumendos ac etiam deputandos et omnia nec non jura quecumque ob ea nobis pertinentia fidei vestre plenarie comittentes. Mandantes vobis quatenus vice et auctoritate nostra inquiratis et super omnibus juribus feudorum nostrorum et ad nos et eos pertinentibus, vel ob ea, et etiam alienatis ex eis sine nostro vel nostrorum predecessorum consensu, circa quorum vendicationem, occupationem, emparam, revocationem et recuperationem ad nostrum dominium faciendam reductionemque ad statum debitum, necnon ad informationem feudorum ipsorum et statum eorundem, nec non concedendum in emphyteosim ea que alienata repercritis, vel necessaria ad illum censum et pro illa intrata, de quibus et prout vobis videbitur expedire, et ad cognoscendum et terminandum per vos, vel alios, sine litte et ut melius et expeditius poteritis, controversias, si que fuerint pro premisis vel aliquo premisorum, et ad exigendum servitia fallita et jura nobis competentia pro eisdem, et ad petendum, recipiendum, recipi faciendum, tenendum et restituendum potestates feudorum, et ad emparandum et emparata tenendum et desemparandum eadem, nec non ad omnia et singula exercendum, faciendum et fieri faciendum pro ipsis feudis vel rebus feudalis, seu que feudales fuisse dicantur, contra quoscumque et in quibuscumque, etiam i mandatum speciale exigent, et que nos facere possemus si presentes ad id faciendum essemus, vobis ambobus tenore presentium comittimus plenarie et generaliter vices nostras, mandantes vobis quatenus, super hiis diligenti sollicitudine excitati, faciatis et fieri faciatis super et pro eis ea que facienda occurrerint, prout me-

lius vobis videbitur expedire. Nos enim universis et singulis feudatariis vassallis nostris ex debito fidei quo nobis tenentur mandamus ut, tam in dando potestates feudorum vobis, vel quibus volueritis, vice nostra, quam in servitiorum cessatorum esmenda, quam in emparis faciendis, quam etiam in omnibus quibus vel ad que vos processeritis, obediant et pareant sicut nobis, ac si a nobis, vice qualibet qua per vos requisiti fuerint, essent personaliter requisiti, et nihilominus vices gerenti procuratoris in provincia, nec non vicariis, baiulis et aliis officialibus universis et singulis subditis nostris firmiter et expresse dicimus et mandamus, sub pena nostre gratie et mercedis ut in et super premissis et aliis, que occasione premissorum requisiveritis ab eisdem, vobis assistant consilio, auxilio et favore et requisita per vos protinus exequantur, quando et quotiens et prout per vos fuerint requisiti. In cuius rei testimonium etc.

*CXXIV.—Confratria.*

Ffuit pro parte jurisperitorum... civitatis expositum reverenter quod, cum nonnulli ex eis, advocatorum officio abutentes, in dampnum rei publice et magnum dispendium singulorum causas desparatas et evidenter injustas per calumpniam deffendentes, multa illicita et inhonesta committerent, suos clientulos variis exponendo littigiorum amfractibus et ruinis ex quorum infamia detestanda subdebatur in nubium serenitas aliorum, ipsi convenientes in unum et super hiis ad invicem altercantes, capitula subdistincta inter se concorditer ordinarunt, ut per salubria consilia et salutaria instituta in illis adhibita hujusmodi pestilens abstergatur infamia, cessent calumpniosa dispendia, conditio et status illorum in melius reformatur et ad Dei servicium atque nostrum ac publice rei compendium singulorumque profectum actus illiciti propulsentur; quare nobis humiliter supplicarunt ut ipsa capitula laudare, approbare et confirmare de benignitate regia dignaremur. Nos vero, recognitis in nostro consilio capitulis supradictis, quorum tenor noscitur esse talis: "Primo ordinarunt etc.", cum in dictis capitulis multa salubria contineri noscantur per que, vitatis dispendiis predictae civitati et regno Valencie et habitatoribus in eisdem, plura utilia, actore domino, subsequantur, dictorum peritorum supplicationibus inclinati, predicta capitula et contenta in eis laudamus, aprobamus et auctoritate regia confirmamus. Mandantes cum presenti carta nostra gerenti vices procuratoris in regno Valencie etc. et universis officialibus etc. quod dictis capitulis jam dictos peritos uti et servari permitant et super contentis in eis illos nullatenus inquietent. In cuius rei testimonium etc. Datum. etc.

*CXXV.—Confratria.*

Quia regie congruit dignitati ut sibi subditas nationes in pacis et



concordie unitate quodque fideles suos fovcat et inducat ad caritatis vinculum observandum, quod esse dinoscitur honorum omnium fundamentum, ideo attendentes quod ex capitulis infrascriptis per vos... artis,... loci, bono zelo, ut patule potest perpendi, statutis et editis cultus divinus augebitur, inter vos dilectionis idempntitas invalescet et in melius, actore domino, reformabitur status vester, nobisque duxeritis supplicandum ut in ipsis contenta capitulis vobis benigne concedere ac regiam auctoritatem eis impendere dignaremur, capropter capitulorum ipsorum seriem subnectentes cum presenti carta nostra vobis concedimus quod possitis inter vos statuere et ordinare confratram ad laudem Altissimi et honorem almi confessoris beati Francisci, que in domo vel monasterio... ecclesie,... ville, annis singulis, ut infra describitur, celebretur et statuatur in illa que inferius subsequuntur: Primo namque etc. Igitur, salva fidelitate, jurisdictione, servcio et mandato nostris et successorum nostrorum, premissa omnia et singula, ut superius continentur, vobis dictis sartoribus... ville ducimus concedenda et eis auctoritatem nostram tenore presentium impertimur. Mandantes etc. quod premissa per vos observari permitant et nullum impedimentum vobis inferant nec contraveniant supradictis. In cujus rei testimonium etc. Datum etc.

CXXVI.—*Sanctio prima super negotio tonsuratorum.*

Inefabilis Altissimi sapientia creatoris universa mirabili providentia disponens crexit in populis diversorum principum potestates, ut in virga justitie populos ipsos regant et in pace tranquillitate custodiant sibi subditas nationes. Sane, inter cetera quorum sollicitudo nos annectit illa potius meditatio nostrorum debiti regiminis subditorum occupat mentem nostram, ut subjectos a Deo nobis traditos illesos servare possimus, quod non difficile poterimus obtinere, si cultui justitie inherendo malorum vestigia insequamur. Idcirco, ad id nostrum animum dirigentes, prospeximus et e certo diciscimus quod in regnis et terris divina clementia nobis traditis gubernandis, potissime a paucis tempore citra, quamplures utentes officio mercature et aliis artibus mechanicis sibi tonsuras fieri procurarunt et procurant in magnum dedecus seu opprobrium totius ordinis clericalis, cum hoc non fecerint nec faciant animo ad sacros ordines promovendi nec, ut tenentur, divino cultui insistendi, set solum ut, perpetratis per eos facinoribus, ex privilegiis ceteri clericorum indultis quibus gaudere non merentur, temporalis gladii penam haberent meritam evitandi, quibus tonsuris obtentis, inimici perpetui et antiqui qui felicitatem humane conditionis assidue subplantare molit consilio annuentes, in regnis et terris nostris diversa enormia crimina seu excessus quamplurimos comiserunt, non advertentes quanta honestate et dignitate clerici ad Dei obsequium deputati pre-

cellere alios debeant in actibus eorumdem, nec divinum iudicium hesitantes, nec corporalem penam ullatenus metuentes, de quorum criminum seu excessum perpetrationem<sup>6</sup> mirandum in parte admodum non existit, quia hii, qui in huiusmodi facinoribus deliquerunt, plerumque modicam, vel fere nullam penam, seu penitentiam reportarunt, sicque alii, videntes eos qui deliquerunt in premissis a pena debita relevatos, crimina et excessus audatius presumpserunt, cum ex facilitate venie data fuerit eis occasio delinquendi. Quapropter nos attendentes quod regie celsitudini convenit singulorum excessus, quantum possit, diligentius intueri et ea que inordinate facta fuerunt gladio regalis potentie coercere, et quotiens nova reperiantur delinquentium genera novum deceat puniendi remedium adhiberi, ne transgressores ipsi ex suis maliciis possint aliquatenus gloriari, vobis firmiter et expresse dicimus et mandamus quatenus, visis presentibus, preconizari publice fa(c)iatis<sup>7</sup> per loca insignia jurisdictionis vobis comisse, ubi similia sunt fieri assueta, quod nullus utens officio mercature vel aliis artibus mechanicis, sub pena... solidorum, totiens quotiens contrafactum fuerint comitenda, audeat, seu presumat de cetero uti officio alicujus mercature, vel artis mecanice, cum aliquo clerico seu tonsuram portante, qui eodem utatur officio, vendendo, seu emendo, vel alio quocumque modo contrahendo ratione officii mercature vel alterius artis mecanice, nec audeat, seu presumat, sub pena jam dicta, tenere aliquem institorem vel discipulum clericum, seu tonsuram portantem, pro adiscendo, seu exercendo officio mercature, vel alteriuscujuscumque artis mecanice clericis non concessa. Et, si contrafactum fuerit, a transgressoribus penam jam dictam exhigatis, de qua pena tertiam partem denunciatori et duas partes nostro erario volumus applicari. Datum etc.

CXXVII. *Super promovendo aliquem ad cingulum militie.*

Conspicientes regali congruere magestati ut illos quorum antiqua progenies sanguine generoso prepolluit in debita status sui honorificentia teneat et conservet, ideo attendentes quod vos dilectus noster... legum doctor, prout veraci militum antiquorum ac fidedignorum testimonio per nos personaliter ad plenam informationem nostram recepto liquide nobis constat, ex stirpe ac genere militari per rectam lineam traxistis originem et a generosis seu ingenuis prognitoribus descendistis, volentes propterea, prout militare jus nobis tribuit, vos in honore huiusmodi conservare, ad notitiam presentium et memoriam futurorum declaramus atque decernimus vos dictum... de militari stirpe

<sup>6</sup> Por *perpetratione*.

<sup>7</sup> Esta escrito *faatis*; la omisión involuntaria de las dos letras se explica más facilmente teniendo en cuenta que con la sílaba *fa* termina la plana del folio.

ac generoso et ingenuo genere descendisse quodque vobis et natis vestris et aliis a vobis et illis et a vestris parentibus legitime descendentibus esse debitum, licitum et honestum, quandocumque et a quocumque volueritis, ad militiam provehi et militari cingulo decorari, vosque et illos gaudere debere, nunc et imposterum, omnibus illis gratiis, libertatibus, privilegiis, immunitatibus personalibus atque realibus, usibus, foris et consuetudinibus, quibus milites et generosi regnorum nostrorum utuntur et usi sunt, aut gaudere sunt soliti et in futurum gaudebunt in regnis et omnibus terris nostris. Mandamus itaque cum presente carta nostra perpetuo valitura inclito Infanti etc. ejusque vices gerentibus, nec non universis et singulis officialibus et subditis nostris, presentibus et futuris, quod vobis et natis vestris ac ceteris legitime descendentibus a vobis et illis et a vestris parentibus et bonis vestris et eorum observent et faciant imperpetuum observari presentem declarationem nostram atque decretum, nec non omnes illas gratias, immunitates, libertates et privilegia, usus, foros et consuetudines, quas et que militibus et generosis personis tenentur et debent ac teneri consueti sunt et servare, et contra premissa vos vel vestros non agravent, aut ullo unquam tempore quomodolibet inquietent. In cujus rei testimonium etc. Datum etc.

CXXVIII.—*Super guidaticis revocandis.*

Cum ex impunitate criminum crescat audacia perversorum, expedit rei publice ut officiales nostri sic continuis actibus maleficos insequantur, ne et ex aliquo intervallo processus cessent justitie, vel ex eorum suspensione penarum illis debitarum conteptus<sup>8</sup> aut delinquendi materia tribuatur. Sane, licet in Cathalonie frequentius solito neces et alia crimina frequententur, verum tamen generalis officialium nostrorum abusus facinerosis concedunt guidatica, per que. tam in locis omnibus jurisdictionis eis comisse quam in locis etiam ubi sunt scelera perpetrata, ipsi transgressores incedunt salve pariter et secure, non timentes, obstante guidatico, penarum debitam ulcionem. Cum autem ex istis guidaticis effectus enervetur justitie, non numquam parentur insidie et deteriora prioribus comitantur, alii etiam temeritatis spiritum assumentes ad illicita relaxentur, dum ex istis guidaticis illos vident impunes quos pro commissis ab eis excessibus ad gravis pene vindictam juris sanctio merito condemnaret, idcirco et si non debite pene afflictio saltim multum quietis suspensio affligat transgressores ac cessent multa dispendia que ex istis provenire guidaticis dinoscuntur, vobis, sub pena gratie nostre districte precipiendo, mandamus quatenus revocando guidatica per vos hucusque concessa criminosum de homicidio, violenta rapina, latrocinis, aut alio crimine inculpatum de cetero non guidetis vel

<sup>8</sup> Por *contemptus*.

inducias guidatici, aut suspensionem cujusquam processus adversus eum debiti concedatur, sciturus quod hoc nobis plurimum displiceret et vos propterea taliter puniremus quod esset ceteris similia attemptantibus in exemplum. Datum etc.

CXXIX.—*Super restituendis cuidam domestico regio hereditatibus sibi demptis.*

Ad nostrum non absque admiratione multipliciter provenit auditum quod officiales assessores jurati vel consiliarii civitatis..., quamvis illos qui nostris jugiter insistent obsequiis deberent reputare presentes, ffideli scriptori nostro... hereditatem quam ei in civitate predicta concessimus, eo quod ibidem non facit residentiam personalem, nituntur auferre. Sane, cum hii qui pro nostris serviciis vel causa rei publice sunt absentes gaudere debeant privilegio potiori, ea propter vobis mandamus quatenus predicto..., tenente in hereditate sua unum hominem loco sui, qui non sit de civitate... vel de populatoribus ejus, manuteneatis et deffendatis ipsum in possessione hereditis<sup>9</sup> sue predictae, nec ipsum permittatis illa privari, vel in ea turbari, vel aliquatenus molestari, cum ita velimus et sic ei duximus concedendum, non obstante ordinatione aliqua vel statuto, etsi jam sibi ablata extiterint, eandem sibi ilico restitui faciatis, cessante impedimento quocumque. Presentem tamen concessionem durare volumus per annum unum ex nunc continue subsequenter. Datum etc.

CXXX.—*De absolvendo quodam a manuleutis.*

Pro parte ffidelis scriptoris nostri... fuit propositum coram nobis quod, cum ipse de quibusdam excessibus delatus et inculpatus fuisset, pro quibus contra ipsum extitit inquisitum, fuit traditus manuleute, aut fideiusorie cautioni, diversasque securitates et obligationes prestiterit de non exeundo Sardinie insulam sacramentis et homagiis roboratas, cumque de premissis asserat se insontem et velit se coram nobis personaliter exhibere ad suam innocentiam expiandam, fuit nobis humiliter supplicatum ut ipsum ad hoc admittere dignaremur. Nos itaque attendentes quod inquisitiones contra ipsum factae, vel maxima pars earum, sunt in posse ffidelis scriptoris nostri..., cum quo et aliis existentibus in partibus istis poterit de premissis veritas reperiri, ea propter volumus ac vobis expresse mandamus quatenus, recepta a dicto... sufficienti et idonea cautione quod infra terminum competentem vestro arbitrio prefigendum, legitimo impedimento cessante, se pro premissis coram nobis personaliter exhibebit, absolvatis omnes manuleutas, fideiussorias

9 Por hereditatis.

cautiones et omnes provisiones et obligationes homagiis et juramentis quibuscumque vallatas, et eis omnibus non obstantibus, nec obstante ordinatione aliqua per nos facta quod publicis vel privatis officiis in dicta insula residentes illa personaliter deservire ac pro eis in ipsa insula residentiam facere teneantur, permittatis atque licentiam prebeatis jam dicto... ad nostram curiam accedendi; ipse autem per substitutum vel substitutos idoneos possit interim regere officia quibus preest. Et hoc non mutetis aut etiam diferatis aliqua ratione. Datum etc.

CXXXI.—*Rogatoria ut rogantem in aliquo loco curiali idoneo ipsum constituere velit, retraendo ipsum a sarcina dedecoris.*

Si ovis fuisset vellera produxissem et si vitis uvas mittissem, si vero arbor fructibus habundasset, set quia homo, non ut homo set ut talis homo, non nisi tedia ac fastidia preparo ad amicos et non semel unum sed pluries idem repeto ut quod primo fatigavit displiceat et secundo, quare completum est in me verbum psalmiste dicentis: factus sum opprobrium vicinis meis etc. Verum tamen, immitator amande capti amore, qui licet se primo predilectam se sentiat agravasse, eandem inire denuo non omittit, ideo karitatem vestram deprecor precibus quantis possum quatenus, a sarcina dedecoris et pulvere vite quam duco me misericorditer retrahendo, quod primo occurrerit apud scriptorem unum curialem vel alium quemvis cum quo, prout juxta videre vestrum utilitati ac comodo cederit me comorari, vestros apponere dignemini intercessus, in hoc quippe domini..., prout promisit, auxilium sentietis, nam fratri... provisum est de ecclesia quem citra duos annos Barchinone nullus estimat residere et sic, defficiente anchora, recurrendum est ad amplustre. Datum etc.

CXXXII.—*Ut minister Minorum habeat recomendatam abbatissam cujusdam monasterii Minorissarum.*

Etsi universales personas in sacris ordinibus sub regulari observantia, famulantes Altissimo tenemur diligere ac fovere, specialis tamen devotionis affectus quem ad vestrum gerimus ordinem in intimis et habemus, eas, quas ejusdem ordinis regula divinis serviciis applicat, ad promovendum nostri regii favoris gratiam efficacius nos inducit; ad laudabilia igitur merita religiose sororis..., abbatisse... monasterii, quam vite mundicia, morum honestas et alia virtutum suffragia comendabilem efficiunt atque reddunt, nostrum intuitum dirigentes, circumspectam providentiam vestram intento rogamus affectu quatenus abbatissam predictam nostri honoris intuitu ejusque meritorum obtentu velit et placeat in suis agendis suscipere favorabiliter comendatam; in hoc autem nobis plurimum complacebitis et vobis tenebinur ad merita gratiarum. Datum etc.

CXXXIII.—*Super capiendo quodam fratre fugitivo qui cum quibusdam rebus affugit.*

Rem perniciosam exemplo nuper audivimus perpetrata, quod licet frater... ordinis quod sub religionis pallio se virum religiosum preterderet et honestum et majoralis existeret... domus, instigante diabolo in comotione temere pedes suos, abicit turpiter jugum domini et de dicto loco cum quibusdam quantitibus pecunie ac rebus aliis dicti monasterii fugitum abscessit et discurrens hinc inde se latitat et occultat. Quocirca ad instantiam venerabilis abbatis monasterii supradicti vobis dicimus et mandamus quatenus disquiratis sollicite et secrete in quo loco dictus frater... se receptat, et, cum ipsum invenire poteritis, cum protinus capiatis captumque cum pecunia et rebus predictis jam dicto abati sub fida custodia transmitatis, per ipsum juxta sui demerita puniendum taliter quod transgressori juxta <sup>10</sup> pena non desit et ipsum monasterium recuperet quod est suum. Datum etc.

CXXXIV. *Confortatio IIII navium per inimicos captarum.*

Ad vestram notitiam in vicino quod notum est pluribus in longinquo credimus pervenisse et in sequentibus diebus immo scimus probabiliter pervenisse qualiter januenses publici hostes nostri quatuor naves, quas cum militibus et equitibus et alia multitudine gentis armigere ad insulam nostram Sardinie in ipsius tuitione pridie mittebamus, casu fortuito ceperunt in mari, quibusdam qui vehebantur in illis gladio interemptis et aliis captivatis, que vobis et potissime fidelibus nostris illarum partium quibus in armorum congressibus consuevit fortune placiditas arridere alicujus turbationis in comoda credimus attulisse, unde vobis significamus quod nos in dominantium domino, qui sic interdum irascitur ut benignius mansuescat, sic affligit et flagellat ut altius elisos extollat et bonum consolationis adiciat, nostrum jactantes humiliter cogitatum, licet casus predictus ex quo negotia nostra non cadunt gravis quodam modo et orribilis videtur, nos tamen, ipsum pro levi vel minimo repudiantes, in nullo propterea fleximus altitudinem mentis nostre jam cum bellorum facta sint dubia nostrumque dominium magna et strenua per Dei gratiam habundet virorum militia, hujusmodi nova patienter suscepimus, et tanto acutius nostre potentie dexteram in ipsorum hostium excidium incitamus et fortius erigimus ad vindictam, quanto propter hoc in regie ditionis contemptum videntur inanis glorie ventum et temerariam ex conflictu audaciam assumpsisse. Sane, cum misericors dominus non numquam superbos extollat ut fortius eos prosternat, sic eis interdum principia bona pretendat ut medium et finem multis adversita-

---

10 Por *justa*.

tibus repleat, eidem gratias agimus qui quos diligit aliquando corripit et castigat. Et ecce quod statim ad nos convocavimus centum milites strenuos et electos quos dum<sup>11</sup> duabus navibus que sunt Barchinone parate et alio armato navigio ad dictam insulam evestigio destinamus. Mandantes vobis quatenus, omni mestitia procul pulsa, assumatis spiritum fortitudinis in adversis in illo qui superbis resistit et semper gentes et regna nostra per sui misericordiam exaltavit. Datum etc.

CXXXV.—*Ammiratia*<sup>12</sup> comissa aliquo viro.

Infra nos debita ac sollicita consideratione pensamus qualiter inter alia regibus et principibus incumbentia incumbit eisdem, tuncque eorum laudis cum fame preconio magnificentia vehementer extollitur, dum in illorum officiis, precipue majoribus, personas ordinant et preponunt fidelitate, industria et aliis suffragiis bonis notabiles atque dignas, officiorum hujusmodi honoribus sublimari. Idcirco ad personam vestri... nostrum intuitum dirigentes, veluti quem novimus fidelitatis, legalitatis et sinceritatis constantia et aliis laudabilibus conditionibus insignitum, confidentesque quod in hiis que exaltationem nostri nominis et honoris respiciant omni cura et diligentia ac sollicitudine intendetis, nec non prospectis serviciis que prompto animo prestitistis nobis et que speramus imposterum exhiberi, vos propterea in ammiratum nostrum regnorum nostrorum Aragonum, Valencie, Sardinie et Corsice comitatusque Barchinone preponimus, ordinamus ac ducimus statuendum. Et ut predictum officium ammirati, tam vos, quam alii qui postea ipsum officium tenuerint, sive nostro sive aliorum Regum successorum nostrorum temporibus, certius melius et utilius regere valeatis ac etiam exercere, omnia et singula ad ipsum officium tam in exercicio, seu administratione ipsius, quam super recipiendis juribus pro eodem, in presenti scripto nostro, habito super hiis pleno cum deliberatione consilio, declaranda, ponenda et inserenda providimus, ut inferius continetur. Volumus itaque et ordinamus atque mandamus quod vos, per vos vestrosque viceamiratos ordinatos et alios comissarios et nuncios vestros, predictum ammirantie officium in omnibus regnis et comitatu predictis ad honorem, servicium et fidelitatem nostrum nostreque curie commodum et profectum exerceatis et faciatis exerceri fideliter, legaliter, diligenter et bene. Item volumus, ordinamus atque concedimus vobis quod vos et ille, quem ad hoc loco vestri statueritis, de causis et de questionibus, tam civilibus, quam criminalibus, que inter homines generalis et specialis armate nostre seu galearum nostrarum, de illis scilicet que contracte sint postquam ipsa armata incepta fuerit et durante eadem armata insure-

<sup>11</sup> Por cum.

<sup>12</sup> O *amirantia*.

xerint, summarie secundum statutum et consuetudinem armate ad arbitrium vestrum cognoscatis et singulis conquerentibus justitiam ministretis, quam cognitionem exercentis et exerceri faciatis de causis et questionibus quas moveri contingat a XV diebus antecedentibus ad recollegendum assignatam et in antea usque ad XV dies postquam ipsa generalis vel specialis armata seu galee nostre fuerint exarmata; excipimus tamen ab hujusmodi cognitione vestra questiones, seu actiones reales, quas locorum ordinariis reservamus. Item ordinamus, volumus et concedimus quod, quandocumque et quotienscumque contingerit nos facere fieri de novo seu reparari galeas, vel alia quecumque vassella pro generali vel speciali armata nostra, vos, seu statutus a vobis, de questionibus civilibus et criminalibus, que inter magistros ipsarum galeorum seu vassellorum et magistros axie<sup>13</sup> et calaffatos ipsorumque discipulos et ceteros operarios, de illis scilicet que contracte sint postquam ipsa opera seu reparaciones incepta fuerint et durantibus eisdem operibus seu reparacionibus insurrexerint, in quibus ipsi fuerint, cognoscatis casque secundum justitiam fine debito terminetis ipsique magistri et alii supra dicti coram vobis et ordinatis a vobis et non coram aliis officialibus inde respondere in iudicio compellantur; declaramus tamen quod, si aliqui vel aliquis predictorum cum alio vel aliis alterius conditionis quam suorum consimilium in officiis supradictis civiles vel criminales questiones habuerint, etiam tempore operum predictorum, de ipsis non per vos aut statutos vestros, set per officiales ordinarios, prout de ratione fuerit, cognoscatur; nec intelligantur inter personas hujusmodi illi qui ex comissione, seu concessione nostra, tenent tartianatus nostros in quovis locorum dictorum regnorum et comitatus nostrorum, immo volumus quod ipsi tartianatus predictos nostros tenentes non teneantur coram vobis, set coram suis ordinariis respondere; excipimus etiam assimilari, ut supra in proximo capitulo dictum est, a cognitione vestra questiones, seu actiones reales, quas locorum ordinariis reservamus. Item ordinamus, volumus et concedimus quod, cum propter multiplices varietates multorum negotiorum, que circa armatas sepe contingunt, non essent facile de singulis que expenderetis, aut solueretis in ipsa armata vel ratione ipsius, debitas apochas vel alias cautelas recipere, quod vos de pecunia seu rebus quas per vos seu ordinatos vestros receperitis et solveritis ponatis nostre curie per quaternos tantummodo clare tamen et cum justis rationibus, causis, finalem et debitam rationem, de hiisque stetur ipsis quaternis nec vos de necessitate oporteat ostendere vel reddere alias apochas, seu cautelas. Ut autem comisso vobis hujusmodi officio eo amplius et efficacius intendatis, quo et vobis et honorem esse impensum et utilitatis gratiam collatam a nostra celsitudine censietis, de juribus recipiendis a vobis pro presenti officio vobis providendum du-

---

13 Por *magistros ascie* = *carpentarios* (D. Cange).



ximus sub hac forma, videlicet, quod, si in debellatione et conflictu stolii  
 rebellium et inimicorum nostrorum ammiratum ejusdem stolii per nos-  
 trum felix stolium in quo vos prefueritis capi contingerit, ammiratum  
 ipsum cum omnibus rebus suis quas in stolio habuerit vobis concedimus  
 vestris utilitatibus aplicandum; verumtamen salvamus et retinemus no-  
 bis, expresse, quod si beneplaciti et voluntatis nostre fuerit quod per-  
 sonam ipsius ammirati capti ad posse et jus nostrum habere voluerimus,  
 quod, nobis dantibus et solventibus vobis pro eo quingentas marchas ar-  
 genti, ipsius ammirati capti personam ad jus et posse nostrum absque  
 aliqua contrarietate vestra habere possimus, bona autem omnia que  
 ipse ammiratus captatus in stolio habuerit, sicut jam preactum est, ves-  
 tris utilitatibus applicentur; de universis autem rebus, mercibus et bo-  
 nis existentibus in navibus et aliis quibuscumque vassellis capiendis per  
 stolium nostrum, in quo vos prefueritis, volumus, ordinamus atque con-  
 cedimus quod vos vicesimam partem eorum omnium, que curia nostra  
 inde habuerit, integraliter habeatis, ipsas vero naves et cetera vassella  
 capta juribus nostre curie cum eorum universis exarciis et appara-  
 tibus reservamus; ultra premissa etiam omnia vobis concedimus quod  
 annis singulis, a die videlicet quo armata nostra generalis vel specialis  
 fieri incipiet usque quo completa fuerit et finita, in qua vos persona-  
 liter ineritis, tam dum fuerit in terra quam in mari, habeatis pro ex-  
 pensis vestris de pecunia curie nostre, die qualibet, triginta solidos  
 Barchinonenses. Volumus insuper, ordinamus et vobis concedimus quod  
 de personis sarracenorum capiendis cum nostris vassellis armandis per  
 vos de beneplacito nostro vos tricesimam partem eorum integriter ha-  
 beatis, reliquis partibus sarracenorum ipsorum curie nostre comodita-  
 tibus applicandis, personas autem christianorum quorumcumque capien-  
 dorum ad nos et curiam nostram declaramus et volumus pertinere absque  
 aliqua deductione vel jure vobis in eis minime pertinenti, eo tamen, quod  
 supra diximus de persona ammirati capti, in suo robore duraturo; sane,  
 si contigerit vestra prudentia et tractatu ac coactione nos seu curiam  
 nostram a sarracenis quibuslibet nova tributa, seu servicia, adquirere et  
 habere, antiquis et solitis tributis et serviciis nobis plene remanentibus,  
 vos de ipsis novis tributis, seu serviciis, vestra sicut dictum est pruden-  
 tia et tractatu ac coactione habendis, partem vicessimam pro vestris  
 utilitatibus habeatis. Denique volumus et ordinamus et vobis conce-  
 dimus quod ab omnibus acordandis in armata nostra generali vel spe-  
 ciali habeatis et recipiatis ea jura, que alii ammirati nostri habere et  
 recipere consueverunt, scribaniam vero armate nostre generalis et spe-  
 cialis conferendam per nos cui voluerimus retinemus; predictis igitur  
 ordinatione et concessione per nos superius factis de officio supradicto  
 nec non et de juribus vestris ratione ipsius a vobis recipiendis per nos  
 superius declaratis, quibuslibet aliis ordinationibus et concessionibus nec  
 non juribus solitis aut insolitis per alios ammiratos temporibus preteritis

exerceri, percipi et haberi omnino exclusis, vos et alios ammiratos, qui in dictis regnis et comitatu pro tempore fuerint, vultumus esse contentos. Mandamus itaque per presens scriptum nostrum procuratoribus, vicariis, justitiis, bailis, curiis et ceteris aliis quibuscumque officialibus et subditis nostris, per omnia regna et comitatum predicta constitutis et constituendis, tam presentibus quam futuris, quod vos pro ammirato nostro habeant et teneant vobisque et ordinatis vestris de omnibus, que ad ipsius officii negotia spectare noscuntur, ad honorem, servicium et fidelitatem nostram pareant, respondeant, obediant efficaciter et intendant. Hanc autem concessionem nostram durare volumus, dum de nostro fuerit beneplacito voluntatis. In quorum omnium testimonium etc. Datum etc.

CXXXVI.—*Super continuando itinere apud dominum papam.*

Intellectis hiis que nobis significastis, de dubio quo dubitatis iter arripere, pro eundo ad presentiam domini pape, pro expeditione negotiorum per nos vobis commissorum, ex eo videlicet quod cursores nuper missi ad illustrem Regem Francorum nondum redierunt, fraternitati vestre significamus nobis visum esse quod ex dicta causa vos non oporteat dubitare, nec recessum vestrum ulterius prolongare, sicque volumus ut ad exequendum que vobis comisimus procedatis et ad partes illas vos personaliter conferatis, sublato dubio supradicto, dictos enim cursores in brevi credimus redituros<sup>14</sup> et in vestro itinere vestram adibunt presentiam, prout eos fecimus informari, et ubi etiam cursorum ipsorum reditus, quod non credimus, differetur, non convenit vos retrahere ab ipso viagio faciendo. Datum etc.

CXXXVII.—*Responsiva significationis mortis iudicis Arboree.*

Litterarum vestrarum tenore precipimus qualiter egregius nobisque dilectus vir..., iudex Arboree, genitor vester sicut domino placuit, suis negotiis anime et corporis, prout eum decebat, sufficienter dispositis, spiritum suo redditit creatori, cuius equidem intempestiva subtractio nobis plurimum tamen displicentie ministravit; set quia scriptura sancta docente super mortuo respectu immensi doloris modicum est lugendum, nec sicut qui spem non habent ceteris<sup>15</sup> est dolendum, set quod caros premisimus non amiserimus, est potius catholicis intimandum et ad subsidia spiritualia recurrendum; ideo devotionem vestram hortamur ut pro ipsius iudicis anime levamine devota orationum et aliorum suffragia curetis offerri facere apud Deum, ut, si quid sibi remansit purgabile, multiplicatis intercessionibus et aliis bonis operibus levietur. Ceterum, quia in ejus domo succeditis et honore paternis adherendo affectibus erga servicia regie domus nostre mentis aciem dirigatis ad

14 Por redituros.

15 La palabra está un poco borrosa en su parte final.

nos, qui devotionem et fidelitatem vestram pari dilectione amplectimur, in hiis que vobis et domui vestre utilia occurrerint, fiducialiter recurrendo. Nichilominus tamen dilectos familiares nostros... et..., germanos vestros, dicti iudicis contemplatione ac vestri supplicationis instantia ipsorumque meritis exposcentibus, intime recomendatos habemus et regiis favoribus et gratiis intendimus promovere. Datum Barchinone etc.

CXXXVIII.—*Homagium primogenito regio prestitum per quandam.*

In Christi nomine. Patcat universis quod, cum inclitus infans... illustrissime domini bone memorie Regis... regni filius, comes... comitatus, dudum cum instrumento confecto... die et anno, auctoritate... notarii, cum consilio et assensu dicti domini Regis... tunc viventis, sub vinculo juramenti per eum tunc corporaliter prestiti promisisset atque jurasset inclitum infantem..., primogenitum serenissimi domini Regis... nunc regnantis tunc vero infantis et primogeniti dicti domini Regis..., in Regem... regni et aliorum regnorum et terrarum domino Regi... regni subiectarum, et quod ipsum tractaret, teneret ac reverenter ut Regem et dominum verum regnorum et terrarum dicti domini Regis... regni et nullum alium totis temporibus vite sue, post cessum tamen vel decessum predicti domini Regis... avi et dicti domini Regis... tunc infantis genitoris dicti domini incliti infantis, et nihilominus promisisset quod ipsum inclitum infantem... juraret in Regem et dominum regnorum et terrarum predictarum, eo modo et forma quibus primogeniti Regis... in... provincia solemniter et publice jurari consueverunt, quod siquidem juramentum promissit prestare personaliter in prima curia quam apud... regnum contingerit celebrari, ita videlicet quod, statim quod in prima curia in... regno... celebranda jurasset dictum inclitum infantem... in Regem et dominum eo modo et forma quibus ceteri barones... regni ipsum juraverant, quod statim ipsa promissio et juramentum et quevis alia obligatio in dicto instrumento contenta esset cassa et irrita et totis suis viribus vacuata, ac si facta non esset, quodque dictum instrumentum ex tunc restitueretur dicto infanti..., comiti... comitatus, ut ipsum posset cancellare, sive delere, et quod ex tunc pretextu dicti instrumenti vel obligationis non teneretur eidem in plus quam alii barones... provincie vel... regni sibi obligati existerent vel astricti, salvis iuribus feudi et aliarum retentionum quas dictus dominus Rex in... comitatu sibi retinuerat et habebat, ut hec et alia in dicto instrumento plenius continentur, idcirco dictus inclitus dominus infans, comes predictus, volens adimplere premissa, constitutus in... ecclesia... civitatis, ... die, in qua quidem dictus dominus Rex... generalem curiam celebrabat et in qua prelatorum, nobilium, mesnaderiorum, militum, infancionum, procuratorum civitatum, villarum et aliorum locorum... regni, qui ad dictam curiam convenerant, erat congregata maxima multi-

tudo, juravit super crucem domini nostri Jhesu Christi et ejus sancta quatuor evangelia, manibus ejus corporaliter tacta, in posse et manibus dicti domini Regis... recipientis nomine dicti infantis... primogeniti sui et ejus domini infantis... ipsum dominum infantem in Regem et dominum regnorum et terrarum dicti domini Regis... regni sub forma sequenti: Nos infans etc., illustrissimi domini... bone memorie Regis... regni filius ac comes... comitatus, juramus per Deum et crucem domini nostri Jhesu Christi et ejus sancta quatuor evangelia, corporaliter per nos tacta, vos inclitum dominum infantem... jam dicti domini Regis... primogenitum presentem et juramentum recipientem, quod etiam juramentum dicto domino Regi..., patri et legitimo aministratori vestro, nomine vestro recipienti ad vestri utilitatem propter etatis vestre defectum prestamus, quod tenebimus et habebimus vos in Regem et pro Rege... regni post dies dicti domini Regis... patris vestri et quod de cetero vobis dicto domino infanti... obediemus et fidelitatem vobis servabimus in vita dicti domini Regis... et etiam post, prout vasalli et naturales domino suo naturali debent et tenentur fidelitatem et obedientiam servare, quo quidem juramento prestito, dictus dominus Rex..., volens servare retentionem quam inclitus dominus infans... comes predictus in instrumento predicto sibi fecerat, absolvit et pro absoluto habuit et tenuit ipsum infantem... comitem supradictum a juramento, promissione et obligatione quas prius fecerat in dicto instrumento, ut superius est expresum, quod siquidem instrumentum incontinenti sibi mandavit restitui atque tradi et omnia in eo contenta deinde pro non factis habuit ut ea ex tunc effectu et viribus vacuavit. Et nihilominus idem dominus Rex... gratis et ex certa scientia et spontanea voluntate promissit per firmam et solempnem stipulationem dicto domino infanti, germano suo, se facturum et curaturum, cum effectu, quod, quando dictus dominus infans..., ejus primogenitus, decimum quartum<sup>16</sup> annum etatis sue compleverit, infra unum annum ex tunc immediate sequentem, jurabit et firmabit sibi, sicut aliis baronibus regni..., quod observabit et faciet observari ei foros, usus, consuetudines... regni, privilegia et omnia instrumenta donationum, venditionum et permutationum et libertates universas, prout eis et aliis in dicto... regno constitutis concessa sunt, que habent et habere debent cum sint intra... regnum constituti, et non contraveniet per se vel aliquam interpositam personam modo aliquo, sive causa, quodque jurabit, tam super conservatione monete jaccensis que nunc est, quam super statuto et ordinatione perpetua factis per dictum dominum Regem... bone memorie super regnis et aliis terris non dividendis, eaque jurabit et tenetur jurare et aliis baronibus, prelati et aliis de... regno ex simili promissione per eundem dominum Regem... eis facta, quando jurarunt in Regem et dominum dominum in-

fantem... ejus primogenitum supradictum, et pro predictis complendis et attendendis per dictum dominum Regem... prestitit ipse dominus Rex ad sancta Dei evangelia per eum tacta et crucem domini corporaliter juramentum. Salvavit etiam dominus Rex... prelibato domino infanti..., fratri suo, ea que dominus Rex... bone memorie eo tunc salvavit aliis baronibus, prelati et aliis dicti regni pro vitando prejudicio suorum privilegiorum ac aliorum, prout continetur in instrumento super juramento dicti primogeniti sui in generali curia tunc confecto. Actum est hoc etc.

CXXXIX.—*Donatio multum abilis et perfecta.*

In Christi nomine et ejus gratia. Regalem providentiam sic decet singula secundum libera rationis appendere ut unicuique secundum sue conditionis statum respondeant munificentie largitatum, videlicet circa sublimes sublimiter, et alios juxta suorum exigentia meritorum. Hac itaque consideratione, dum nos... Rex etc., pensantes quod, inter cetera dona que ab alto, divina largiente clementia, multifarie multisque modis recepimus, insigne donum suscepimus quod humane domus facta nobis est socia illustris domina..., Regina... regni, lexitima conjux nostra, ex quo speramus in bonitate divina quod nos et ipsa socii erimus et domini, ad excellenciam ipsius nostre consortis prosapiam nec minus morum preheminentiam dirigentes intuitum, ipsius merita recto libramine recensentes, dignum fore conspiciamus ut, quia noviter ex ea felicem prolem suscepimus quam paterne benedictionis dulcedine intimis viceribus<sup>17</sup> cordis nostri libenter amplectimur, videlicet vos inclitum infantem..., lexitimum et dulcissimum natum nostrum, vos per exertioris operis productionem efficaciter amplectamur et, sicut altus estis progenitorum consideratione vestrorum, quantum nobis occurrit possibile atollimini, ut convenit status et excellentia dignitatis. Igitur vos dictum infantem... per nos jam emancipatum cum carta nostra, ut in ea plenius continetur, in primis, titulo magnificentie dignitatis preficere cupientes, vos marchionatus... civitatis intitulari volumus et marchionis nomine nuncupari, videlicet marchionis qui marchionatis... civitatis est titulus ab antiquo. Et ut vestre dignitatis status sufficienter valeat sustentari ac juxta vestrum titulum vobis congrue subpetant facultates, gratis et ex certa scientia ac spontanea voluntate per nos et nostros heredes et successores damus, perfecta, pura et irrevocabili donatione inter vivos per franchum et liberum alodium, vobis inclito infanti... marchioni predicto, jam per nos, ut premititur, emancipato, civitatem nostram... in... provincia, nec non... civitatem et talia castra etc. in tali loco situata, cum castris et fortaliciis eorundem, nec non talia loca

<sup>17</sup> *Visceribus.*

situata in tali provincia, cum fortaliciis universis et singulis in terminis civitatum, castrorum et locorum predictorum situatis et cum aldeis, villis, altareis, domibus, turribus et locis nostris in terminis dictarum civitatum et castrorum constitutis et cum omnibus terminis, pertinenciis et appendiciis dictarum civitatum, castrorum atque locorum, portubus maris et rippaticis, et cum baronibus, militibus et dominabus, hominibus et feminis, christianis, judeis et sarracenis cujuscumque preheminentie conditionis et status existant in predictis civitativus, castri et locis et eorum terminis habitantibus et habitaturis, et cum mero et mixto imperio et alia jurisdictione civili et criminali, alta et baxa, et cum salinis, piscationibus, venationibus, mineriis et trobis, fluminibus, vectigalibus, redditibus, exitibus et proventibus, molendinis, furnis peytis, questiis, subsidiis, adempriiis, serviciis, servitutibus regalibus et personalibus, hostibus et cavalcatis et eorum redemptione, bovatico, montatico, cenis, albergiis, feudis, feudatariis potestatibus et emparis, et cum omnibus aliis juribus in dictis civitatibus, castris et locis nobis pertinentibus et pertinere debentibus et de jure usaticis, foris, usibus et consuetudinibus, prout melius et plenius nos et nostri ea in predictis civitatibus, castris et locis et ratione eorum habuimus et habemus et habere debemus et consuevimus quoquomodo, hanc autem donationem facimus vobis inclito infanti... marchioni predicto et vestris heredibus et successoribus, sicut melius et plenius dici et intelligi potest ad vestri et vestrorum securitatem et salvamentum et sanum etiam intellectum Et, extrahentes predicta omnia et singula, que vobis supra damus, de jure, dominio et posse nostri et nostrorum, eadem in jus, dominium et posse vestri et vestrorum mitimus et transferimus irrevocabiliter pleno jure, inducentes vos de predictis omnibus et singulis in possessionem corporalem seu quasi, ad habendum, tenendum omnique tempore pacifice possidendum, prout melius per nos vobis data sunt et superius continetur, promittentes vobis quod trademus vobis, vel cui volueritis loco vestri, possessionem corporalem, seu quasi, omnium predictorum; et nihilominus damus et concedimus vobis auctoritatem, licentiam et plenum posse quod vos per vos vel alium nomine vestro auctoritate vestra propria possitis possessionem, seu quasi, omnium predictorum et singulorum libere apprehendere et apprehensam licite retinere, nos enim donec vobis dictam possessionem tradiderimus, vel vos eam apprehenderitis, constituimus nos interim predicta omnia et singula pro vobis et vestro nomine tenere et possidere seu quasi. Et ex causa hujus donationis cedimus per nos et nostros vobis et vestris, perpetuo, omnia jura omnesque actiones reales et personales, mixtas, utiles et directas et aliasquascumque nobis competentia et competere debentia in predictis omnibus et singulis et contra quascumque personas et res ratione eorum, quibus juribus et actionibus possitis vos et vestri uti et expediri, agendo et deffendendo et alio quomodolibet in judicio vel extra, quemadmodum nos posse-

nus ante hujusmodi donationem et jurium cessionem. Mandantes te-  
 nore hujus instrumenti publici, quod vicem epistole gerere volumus,  
 universis et singulis baronibus, militibus et dominibus et aliis homi-  
 nibus cujuscumque legis et conditionis predictis quod vos et vestros  
 pro dominis eorum habeant et teneant vobisque et vestris pareant et  
 respondeant in et super quibus nobis ante presentem donationem de-  
 bebant et tenebantur respondere ac etiam obedire, ac pro predictis vo-  
 bis et vestris homagium faciant et fidelitatis etiam juramentum, nos  
 enim absolvimus de presenti omnes et singulos barones, milites et  
 alios supradictos ab omni homagio, dominio et fidelitate quibus nobis  
 astricti sint pro predictis vel modo aliquo obligati. Retinemus tamen  
 nobis et nostris heredibus et successoribus in predictis que vobis da-  
 mus, et sub tali pacto et conditione predictam donationem vobis faci-  
 mus, quod vos et vestri heredes et successores perpetuo teneamini ob-  
 servare omnes prohibitiones generales per nos et heredes nostros fieri-  
 das super non extrahendis absque nostri et nostrorum licentia et per-  
 missu rebus prohibitis, videlicet grano, blado et victualibus, equis, pe-  
 gunta, sepo, alquitrano, fusta, canapo, filio, exarcia, ferro et armis,  
 quam prohibitionem nos et nostri, cum eam generaliter facimus in  
 regnis et terris nostris, habeamus vobis et vestris denunciare et sig-  
 nificare ut eam observare possitis nec ignoranter contra eam comi-  
 zere valeatis, salvo vobis et vestris quod ea que ex redditibus vestris  
 habueritis possitis extrahere, seu extrahi facere, ad loca que volueri-  
 tis, sarracorum et inimicorum dumtaxat exceptis, et quod in hoc  
 fraus aliqua minime comitatur; et astringamini vos et vestri observare  
 in terris vestris predictis usaticos Barchinone, foros et alias consue-  
 tudines ac monetam sive monetas regnorum et terrarum nostrarum et  
 contenta in privilegiis super eis confectis et etiam pacem, securitatem  
 et treugam, quam nos et nostri habuerimus cum quibuscumque chris-  
 tianis et sarracenis et aliis hominibus cujuscumque legis, status et con-  
 ditionis existant; teneamini etiam vos et vestri successores perpetuo  
 venire per vos vel procuratorem vestrum ad curias generales nostri et  
 successorum nostrorum, quandocumque et quotienscumque inde fueritis  
 requisiti, et edita in ipsis curiis observare. Retinemus etiam nobis et nos-  
 tris successoribus quod, si vos vel vestri quandocumque, quod Deus aver-  
 tat, decederitis absque filio vel filiis masculis de legitimo matrimonio  
 procreatis, civitates, castra et loca et omnia supradicta, que vobis da-  
 mus, ad nos vel successores nostros et ad coronam Aragonensem in-  
 tegre devolvantur ac etiam revertantur cum pleno dominio et jure, si-  
 cut erant et nos ea habebamus et habere debebamus ante donationem  
 predictam, quo casu vos vel vestri possetis filiam vel filias, si que su-  
 peressent, matrimonialiter collocare et honorifice dotare de bonis pre-  
 dictis juxta decentiam earundem et pro anima vestra in dicto casu re-  
 cipere et ordinare usque ad quantitatem quindecim mille librarum Bar-

chinonensium, quam nos et successores nostri, ante quam predicta que supra vobis damus recuperemus, exsolvere teneamur, et quod uxoribus vestri et vestrorum successorum possitis dotem et donationes propter nuptias, sive dodaria ipsarum, assecurare super dictis bonis, non obstante retentione predicta. Pari etiam modo retinemus nobis et nostris quod, si quocumque casu contigerit vos vel aliquem de successoribus vestris predicta que vos damus obtinentibus ad regiam prefici dignitatem, sive in regnis et terris que habemus sive extra regna et terras predictas ubicumque, eo ipso statim civitates, castra, loca et alia supradicta, que vobis damus, ad coronam Aragonensem integre, ut premititur, et libere revertantur. Igitur, salvis et retentis nobis et nostris que superius continentur, convenimus et promittimus per nos et nostros vobis infanti... marchioni predicto et notario infrascripto quod<sup>18</sup> vobis et nomine vestro et aliis quorum interesse potest ac poterit recipienti et legitime stipulanti et patiscenti<sup>19</sup> predictam donationem et omnia et singula in ea contenta tenere et firmiter observare et observari facere inviolabiliter ac teneri et contra eam in aliquo non facere vel venire, imponentes nostris et nostrorum successorum universalibus heredibus et successoribus et ipsos etiam obligantes et astringentes quod premissam donationem et omnia et singula supra contenta teneant efficaciter et observent et contra ea in aliquo non veniant, nec aliquem contravenire permittant aliqua ratione; et ad majorem securitatem et efficaciam juramus hec per crucem domini nostri Jhesu Christi et ad sancta Dei quatuor evangelia coram nobis possita et corporaliter per nos tacta. Ad hujus autem rei memoriam et ad perpetuam firmitatem facta sunt inde duo consimilia instrumenta, alterum habendum et tenendum per dictum dominum Regem et alterum tradendum predictę domine Regine nomini inclite infantis..., marchionis prefati. Quod est actum etc.

CXI.—*Declaratio retentionum in supra proxima carta factarum.*

Noveriut universi quod nos etc. Attendentes nos donationem perpetuam fecisse noviter pro francho et libero alodio vobis inclito infanti... legitimo nato nostro, marchioni... civitatis, de... civitatibus ac de honore etc., cum fortaliiciis universis et singulis in terminis civitatum, castrorum et locorum predictorum situatis, et cum aldeis, villis, altarcis, domibus, turribus et locis nostris in terminis dictarum civitatum et castrorum et in honore jam dicto constitutis, et cum omnibus terminis, pertinenciis et appendiciis dictarum civitatum et castrorum atque locorum, portubus maris et rippaticis, et cum baronibus, militibus et

<sup>18</sup> Parece estar de sobra la palabra *quod*.

<sup>19</sup> Recuérdese la observación hecha en la fórmula XLVI con respecto a esta palabra.



dominabus etc., ut supra, prout in carta ipsius donationis facta in... loco..., in... kalendario, latius continetur, et inter alias conditiones seu retentiones in dicta donatione appositas, seu adjectas, contineatur expresse nos retinuisse nobis et nostris quod, si quocumque casu contigerit vos vel aliquem de successoribus vestris predicta que vobis dedimus obtinentibus ad regiam prefici dignitatem sive in regnis et terris que habemus, sive extra regna et terras predictas, ubicumque, eo ipso statim civitates, castra et loca et alia supradicta que vobis dedimus ad coronam Aragonensem integre et libere revertantur, idcirco, cum nostre non fuerit nec sit intentionis quod dicte conditionis adjecto <sup>20</sup> locum habeat, si vos vel vestros successores ad titulum et dignitatem regiam regni..., aut regni..., vel utriusque eorum tantummodo, simul vel divisim, prefici contigerit vel assumi, propterea cum presenti carta nostra per nos et nostros declaramus, concedimus et etiam statuimus quod, licet vos inclitum infantem... marchionem prefatum, vel successores vestros in predictis per nos vobis donatis succedentes, titulum regium dictorum regnorum... et... vel alterius eorum contingeret obtinere et ad ipsorum regnorum seu alterius eorum insimul vel divisim, ut premititur, regimen seu dignitatem regiam sublimari et nihilominus vos et illi qui vobis secundum formam dicte donationis in predictis per nos vobis donatis successerint vel succedere debuerint, jam dictas civitates <sup>21</sup>, castra et loca per nos vobis donata cum omnibus et singulis terminis, juribus, pertinentiis et aliis predictis retineatis et retinere possitis, plene et integre et absque impedimento quocumque, conditione seu retentione predicta, quam in dictis casu seu casibus locum habere volumus nec intendimus, in aliquo non obstante, neque civitates jam dicte, castra vel loca, aut alia predicta per nos vobis data in ipsis casu seu casibus ad coronam Aragonensem revertantur, set in jure, dominio et proprietate vestri et vestrorum remaneant pleno jure, salvis nobis et nostris aliis conditionibus et retentionibus antedictis, tam circa dignitatem regiam, si eam in aliis regnis seu partibus obtinueritis vos vel vestri, quam in aliis in dicta carta donationis latius expressatis, imponentes heredibus nostri et nostrorum universalibus et ipsos etiam obligantes et astringentes quod hujusmodi declarationem nostram teneant et observent et non contraveniant, nec aliquem contravenire permitant aliqua ratione. In cujus rei testimonium etc. Datum etc.

CXLI.—*Promotio ad comitis dignitatem.*

Philippus Dei gratia Ffranchorum rex. Ut ordo dignitatum congrua dispositione servetur, regie magestatis circumspecta discretio me-

<sup>20</sup> ¿Por *adjectio*?

<sup>21</sup> Aunque la lectura más correcta parece ser *civitates*, transcribo *civitates* por hallarse más de acuerdo con el sentido de la fórmula.

rita personarum convenientiamque locorum diligenter attendens ad decorem rei publice personas et loca quibus convenit insigniis prerogative potioris attollit. Hanc sane <sup>22</sup> considerationem per intimam frequentius revolventes ad dilectum et fidelem nostrum Bernardum dominum de insula militem ejusque baroniam de insula terram quam habet Gunonesio et villas de sancto Sulpicio <sup>23</sup> et de Asso conveniente multis de causis direximus aciem nostre mentis, dignum et congruum arbitantes ut merita prefati militis nostri, qui claris natalibus non ambixitur descendisse, nobilitas predictae baronie, terre et villarum dictarum amenitate loci, copia feodorum, rerum et fructuum oppolentia et antiquis temporalibus prepollenti perpensoris nobilitatis obtineat per nostre regie libertatis munificentiam majorem titulum superaddi dictaque baronia terra et ville per regiam magestatem in nomen elegans et excellentie dignoris <sup>24</sup> transfusa prefato militi nostro juxta sui conspuitatem honoris ejusque successoribus, ad quos ipsam baroniam, terras et villas predictas devenire continget, nobilibus adaptetur. Eapropter notum facimus universis, tam presentibus quam futuris, quod nos baroniam, terram et villas predictas presenti statuto pragmatice definito in comitatum duximus exigendum et dignitate comitali de speciali gratia perpetuo exornandum, nomine baronie hujusmodi vel aliud quod hucusque habuit in nomine comitatum transferentes, predictumque Bernardum militem nostrum ejusque successores ejusdem comitatus comites cum dignitate et honore comitalibus plenariis de nostre regie plenitudine potestatis presenti pagina constituimus et creamus, dilectis et fidelibus nostris Paribus Ffrancorum, ducibus, comitibus, baronibus ceterisque nobilibus fidelibus justiciariis et subditis regni nostri Ffrancie, presertim ipsius comitatus subditis, presentium tenore mandantes ut ipsi et eorum quilibet predictum comitem, militem nostrum ejusque in comitatum hujusmodi successores ex nunc imperpetuum ut comites venerentur, et ad honores, privilegia, dignitates et libertates comitibus solitos et debitos exhiberi, quibus eundem Bernardum militem nostrum ejusque in comitatu predicto posteros successores presentibus insignimus ac etiam comunimus, recipiant et admitant ipsosque tractent cum debita reverencia ut comites in agendis, hec autem, nobis et successoribus nostris superioritate et ressorto in omnibus retentis, tenore presentium dicto comiti pro se et successoribus suis in dicto comitatu de gratia speciali et ex certa scientia ex nunc imperpetuum concedimus et donamus jure hereditario possidenda. Et, ut premisa omnia et singula firmitatis robur obtineant in futurum, nostrum presentibus fecimus

---

<sup>22</sup> Palabra enmendada. Decía antes *sano*: se corrigió la última letra y puede leerse ahora *sanc*.

<sup>23</sup> Por *Sulpio*.

<sup>24</sup> *Dignioris*.

apponi sigillum. Datum in domo de Becoysel, VIII<sup>a</sup> die junii, anno domini millesimo trecentesimo quadragesimo primo.

CXLII.—*Littera missa archiepiscopo Teraconensi per comitem Urgelli in favorem cujusdam scholaris.*

Reverendo in Christo patri Arnaldo, divina providentia Dertusensi episcopo, speciali amico nostro. Inffans etc. salutem et dilectionis affectum. Servitia nobis diversimode et legaliter, non sine magno persone sue labore ac periculo, prestita et que continue impenduntur per fidelem scriptorem nostrum Matheum Adriani merito nos inducunt ut pro eodem et suis, apud eos quos nostris beneplacitis promptos novimus, intercessus nostros liberaliter effundamus. Hinc est quod, cum, patre dicti Mathei in dicta civitate pridem ab hac luce subtracto, sibi remanserit fratres et sorores quos e quas zelo fraterno juvare tenetur et specialiter Bernardonus Adriani adolescens orfanus sibi remanserit quem dictus Matheus propter sui aptitudinem in Ecclesia Dei, scilicet in divinis officiis, in domo vestra nutriri desiderat et affectat, nobisque propterea, supplicaverit ut de infrascriptis vestre paternitati scribere efficaciter dignaremur et nos, omnibus predictis attentis, dicto Matheo et suis efficiamur ex corde, ideo paternitatem vestram, de qua fiduciam gerimus specialem, instantissime deprecamur quatenus honoris nostri intuitu dictum Bernardonum de domo et familia vestra recipere ac ipsum in eadem nutriri et edoceri, prout de vobis, speramus placeat et velit, nam in hiis Deo, qui de elemosina orfanis distributa premium tribuit, servicium ac nobis signatum obsequium facietis, indeque dictum Matheum, quem jam ab exparte<sup>25</sup> novimus in vestris negotiis efficaciter laborare, habebitis sedulum in hiis que poterit servitorem; rescribendo nobis, si placet, de hiis que horum occasione precaminum in predictis duxeritis ordinandum. Datum etc.

CXLIII.—*Super eodem ex parte comitis.*

Reverendo in Christo patri domino Arnaldo, divina providentia Dertusensi episcopo, Cecilia etc. salutem et prosperos ad vota successus. Si pro singulis et universis illustris domini infantis, viri et domini nostri carissimi, domesticis et familiaribus et pro suis preces nostras tenemur effundere, maxime pro illis et suis, quorum exhigentia meritorum ac servicia per ipsos dicto domino infanti et nobis, ut ab experto novimus, prestita debite et que continue impenduntur<sup>26</sup> nos astringunt ut pro eorum comoda procuranda largifflyue nostros debeamus apponere intercessus; hinc est quod cum dictus dominus infans,

<sup>25</sup> Por ob experto.

<sup>26</sup> Por impenduntur.

serviciis ffdelisi sui scripptomis Mathei Adriani qui in suis et nostris, ut vos bene scire credimus, non sine magno persone sue periculo et labore attentis, paternitatem vestram, ut Bernardonum Adriani dicti Mathei germani de domo et familia vestra et in eadem edoceri et nutmri placeat duxerit deprecandam, nosque, omnibus predictis consideratis, eidem Matheo et suis plurimum teneamur, ex corde affectemus quam plurimum dictas preces ad effectum omnino perducere, idcirco paternitatem vestram de qua plene confidimus instantissime deprecamur quatenus, precibus dicti domini infantis liberaliter et benigne obtemperando et nostris, taliter honore nostri facere velit et placeat quod dicte preces effectum habeant perobatum, dictusque Matheus fructum sentiens intercessuum predictorum ad dicti domini infantis et nostri servicia ardentius nec immerito animetur. Hec itaque nobis summe grata advenient illaque vobis regratiabimur in immensum. Datum etc.

CXLIV.—*Gentibus parlamentum Parisius tenentibus seu presidentibus ejusdem.*

Prudentie vestre presentium tenore defferimus quod nos noviter carissimo nostro illustri Regi Francorum, post assuetum preambulum, scribimus per hec verba: Olim, serenissime princeps, pro subscripto negotio celsitudini vestre, post salutationis assuetum preambulum, scripsimus sub hac forma: Dudum, receptis vestre magnificentie litteris, per quas nos iterum requirendo rogastis ut... et... ejus filio, subditis vestris, mercatoribus de Narbona, qui per... juniorem... predicti complicem, nec non per... et... de Barchinona subditos nostros cum quibusdam nave et ligno piraticam exercentes in mari fuerant pluribus bonis suis more piratico depredati, que juxta averationes in curia vestra factas summam quingentarum librarum Turonensium attingebant, quantitates ipsas, una cum dampnis, expensis et interesse inde sequitis, de bonis dictorum raptorum satisfieri faceremus, nos vero volentes quod pro premissis executio fieret in bonis... et... predictorum, ipsi nostram adentes presentiam nobis humiliter supplicarunt ut, cum ipsi de eorum innocentia et quod nunquam interfuerant dicte rapine per testes et alia legitima documenta parati essent facere fidem promptam, eorum super hiis informationem prius recipi facere dignaremur. Nos autem considerantes quod non erat credibile, vel verissimile videbatur, quod... et... predicti, cives utique fidedigni et in divitiis oppolenti, quique reputationis non modice et fame laudabilis in partibus istis habentur, sue sicut essent salutis, conditionis et status immemores, quod talia perpetrarent, quamque dicte... levis quidem opinionis potentie modice vitteque dampnate patrono precipuo et majori dictorum navis et ligni,

cum quibus, ut predicatur, exercebat piraticam, se submitterent, seque ac alios illius nephandis complicitibus immiscerent, probabiliter extimantes regiam curiam vestram fuisse quo ad ipsos... et... procul dubio circumventam, eorum supplicationibus annuentes, contra ipsos et eorum bona procedere supersedimus, donech nobis lucidius facti qualitatis panderetur. Et nichilominus per commissarium fidedignum per nos ad hoc specialiter reputatum testes et alia documenta ad plenam informationem habendam recipi jussimus, ut super premissis prodiret veritas in apertum; verum cum per attestaciones seu dicta testium ab ipso commissario receptorum, inter quos sunt non nulli qui in dictis nave et ligno fuerunt toto tempore dicti cursus et tempore etiam quo dicta rapina fuit, ut fertur, commissa, quique habebant plenam notitiam dictorum... et..., sit clare probatum quod in dictis nave et ligno, tempore dicte cursus et raubarie, cessarunt videre atque cognoscere... et... predictos, qui si fuissent eos vidissent et utique cognovissent, per alios testes omni exceptione majore fuerit clare probatum quod dictus..., tempore quo dictus... recessit de portu castelli castris insule nostre Sardinie predictam piraticam attemptando erat pro quibusdam arduis negotiis, que sibi expedienda comisimus, in insula memorata ibique stetit continue, dum dictus... in ipso viagio moram traxit etiam per aliquod tempus post illius reditum seu regressum, quodque dictus... a decem annis circa fuit et stetit continue in civitate Barchinone, in qua domicilium suum fovet, et per totum ipsum tempus navigare cesavit, prout vicini ejusdem et alii fidedigni deposuerunt testimonio fidei oculare, nunnulli etiam ex ipsis testibus deponant quod in regno Majoricarum est quidam vocatus... qui in dicta nave fuit toto tempore dicti cursus, et insuper aliqui ex eis deponant quod quidam faber qui est et diu fuit in civitate Barchinone... similiter nominatur, ex quibus latius luce claret quod predicti... et... cives Barchinone a predictis eis impositis penitus sunt insontes, idcirco, Rex inclite, cum alter pro altero non debeat agrari penaque tantum suos actores tenere debeat ac illi debeant prorsus a calumpnia submoveri quos culpa criminis non inquitiat, celsitudinem regiam attente requirimus et rogamus quatenus, cum ex causis predictis, quibus est oppinioni veritas preferenda, non possimus, sicut obsistente justitia non debemus, subditos nostros innocios opprimere minus juste, vos pretextu seu occasione defectus justitie, qui circa hec in veritate in nobis non fuit nec potest dici repertus, contra naturales nostros ac subditos per modum marche vel aliter nullatenus procedatis, aut inportunis vocibus et querelis aliqua concedatis, per que inter nos invicem quos sanguinis et amoris jungit indentitas ac inter subditos utriusque scandalorum, quod absit, germina pullulent, set potius, eis propulsis, amena concordia, sicut decet, hinc inde jugiter convalescat. Datum etc. Quibus magnificentia vestra

nobis respondendo rescripsit quod cum nostrarum receptionis tempore litterarum nullos haberetis vobiscum qui de processibus, si qui facti essent contra predictos... et..., vos possent aliquo modo informare, predictas litteras nostras gentibus vestris vestrum parlamentum tenentibus destinastis, ut vos de predictis processibus et negotio, si quos fecerant contra predictos, vestram celsitudinem certificare curarent, quorum responsione audita tale remedium intendebatis apponere super predictos quod amor, qui vos et nostros subditos diligere ratione connexitatis sanguinis vos astringit, augmentaretur potius quam, quod absit, donationem<sup>29</sup> aliquam pateretur. Quocirca, Rex inclite, serenitatem regiam affectuose rogamus quatenus, placidam et nobis multum acceptam responsionem vestram in actum debitum deducentes, super premissis curetis taliter providere quod alii subditi nostri ex predictorum... et... innocentia, que debet in curia tanti principis esse tutam, per marcharum concessionem aut aliter per vestros subditos non graventur et amor utriusque nostrum, prout ab antiquis citra temporibus, illesus remaneat et aliquid, quod absit, contrarium non insurgat quod tante unitatis et amoris indivisibile vinculum ledat quomodolibet vel dirumpat. Datum etc. Sane, cum vos, qui ad dicti Regis ejusque rei publice gerenda et exequenda negotia estis electi et specialiter deputati, prospicere deceat ne insontes pro nonsontibus molestentur quodque omnis tollatur occasio per quam regna dicti regis et nostri, que in fervore caritatis fundata sunt ab antiquo, possent turbationem inducere vel dispendium germinare, ideo vos attente precamur ut circa premissa sic salubre more solito prebeatis dicto Regi consilium ac nostro officio providere curetis ne predictorum subditorum nostrorum innocentia oprimatur, nec alii subditi nostri ex aliquorum suggestione contraria quomodolibet agraventur. Datum etc.

CXLV.—*Etatis suppletio.*

Nos Petrus etc. Quia pro parte vestri dilecti de domo nostra Petri de Boyl filii Berengarii de Boyl quondam fuit nobis humiliter supplicatum quod, cum vos annum nonumdecimum etatis vestre peregeritis et de consensu expresso nobilis et dilecti consilarii et majordomi nostri Galcerandi de Bellopodio, soceri vestri, nec non dilecti nostri Gondissalbi Garcie, avunculi et curatoris vestri, ac aliorum etiam amicorum et de parentela vestra in facie sancte matris Ecclesie vestrum solemnizare matrimonium preponatis<sup>30</sup> et administratione vestrorum bonorum regere cupiatis, dignaremur cum defectu etatis vestre dispensando benigne vobis etatis veniam concedere de regie nostre

29 Por *donnationem*?

30 *Proponotis*.

plenitudine potestatis, igitur attendentes vos dictum Petrum de Boyz adeo circumspectum, moribus ornatum ac administratione sufultum et providentia temporalí, quod, licet etatis non suppetat complementum, curatore circa personam vel bona vestre non indigetis<sup>31</sup> amodo vel rectore, ea propter vobis dicto Petro tenore presentis supplentes etatis prelibate defectum veniam ejus concedimus et in illa vobiscum de certa scientia et de nostre regie potestatis plenitudine dispensamus, nec non etiam de certa scientia vobis concedimus et plenam licentiam impertimur quod, defectu etatis hujusmodi nullatenus obsistente, possitis vos et bona vestra regere, tenere, administrare et alio quomodo-libet disponere de eisdem ac etiam subire iudicium in causis, seu negociis propriis, tam agendo quam defendendo coram iudicibus quibuscumque, prout potest quilibet etatis perfecte vel a potestate curatoris cum etatis venia per Regem vel principem liberatus, habentes nichilominus hujus serie quicumque<sup>32</sup> tutorem seu curatorem vestrum excusatum penitus ab administratione et onere dicte tutele et cure, ita quod de cura prefata vel de administratione bonorum vestrorum se de cetero nullatenus intromitat nec intromitere teneatur. Mandantes cum presenti gubernatori generali ejusque vices gerentibus, justitiis, bajulis, ceterisque officialibus et subditis nostris, presentibus et futuris, quod omnia supradicta et singula firma habeant et observant et faciant observari et non contraveniant nec aliquem contravenire permittant aliqua ratione. In cujus rei testimonium presentem fieri etc.

#### CXLI.VI.—*Guidaticum.*

Nos Petrus etc. Guidamus et assecuramus vos Periconum de Barberano et Arbortum de Claromonte, inveniundo ad nos cum vestra tantum familia, stando ac etiam redeundo, ita quod, non obstante quod banniti sitis per vicarium Villefranche ratione quorundam verborum per vos probatorum adversus quosdam sagiones curie juxta mansum de pontonibus, possitis per universa et singula terre et dominationis nostre esse et morari ac ab inde recedere salve pariter et secure. Mandantes per presentes universis et singulis officialibus nostris et eorum locatenentibus quatenus, guidaticum nostrum hujusmodi firmiter observando, contra cum non veniant nec aliquem contravenire permittant. Excipimus tamen ab hoc guidatico quod, eo durante, Villaffrancham Penitensem intrare nullatenus presumatis, quod guidaticum durare volumus, donec per nos fueritis desguidatiti, litteris, verbo vel voce preceonís, et postea per decem dies ex tunc in antea continue numerandos. Per hujusmodi vero guidaticum non intendimus nec volumus quod ho-

<sup>31</sup> Puede leerse también *indigens*.

<sup>32</sup> Por *quemcumque*.

norum vestrorum annotatio, si qua est, in aliquo ledi valeat vel anni tempus ullatenus interrumpi, quinimus ipsa remanere volumus in eorum robore, viribus et effectu quodque vos, durante guidatico, super crimine vel bonis non possitis in iudicio procedere vel vos judicialiter super crimine vel bonis deffendere ullo modo, set processus quisvis judicialis et extrajudicialis contra vos dumtaxat super crimine durante guidatico suspendatur; bona tamen vestra pro crimine vel contumacia annotata post anni lapsum nostro remaneant erario confiscata et uper eis possit executio fieri libere, presenti guidatico in aliquo non obstante. In cuius rei testimonium etc.

CXLVII.—*Confirmatio privilegiorum.*

Pateat universis quod coran nobis Petro etc. comparuerunt nunciū universitatis civitatis Herde nobis humiliter supplicantes quod, cum ipsa civitas plura et varia habeat privilegia franchitatum et immunitatum et alia per predecessores nostros illustres memorie recolende indulta, ipsa eisdem laudare, approbare, ratificare et confirmare de benignitate solita dignaremur. Igitur nos, supplicationi predictae tanquam rationi consonae annuentes benigne volentesque dictam civitatem et ejus cives gratia prosequi et favore, per nos et successores nostros gratis et ex certa scientia et spontanea voluntate jam dicta privilegia franchitatum et immunitatum et alia dicte civitati et hominibus ejusdem et successoribus suis imperpetuum confirmamus, prout in predictis privilegiis et eorum singulis melius et plenius continetur et prout melius hactenus usi fuerunt privilegiis supra dictis. Mandantes per presentem cartam nostram procuratori nostro etc., vicariis etc. In cuius rei testimonium etc.

CXLVIII.—*Dispensatio facta super pragmatica sanctione tonsuratorum.*

Petrus etc., dilectis et fidelibus vicario Barchinone et Valencie et baiulo civitatis ejusdem, nec non universis et singulis aliis officialibus nostri vel eorum loca tenentibus, ad quos presentes pervenerint, salutem et gratiam. Meminimus illustrissimum dominum Alfonsum bone memorie Regem Aragonum genitorem nostrum, habito provido consilio, quandam ordinationem seu pragmaticam sanctionem dedisse et super ea quandam ordinationem seu mandatum fecisse, ut clericus non conjugatus, quamvis tonsuram non portet set laycaliter incedat, non admittatur seu eligatur ullatenus ad laycorum officium quod publicum auctoritate vel utilitate existat; verum, cum pro parte Guillelmi de Monte magno<sup>33</sup> habitatoris Barchinone nobis fuerit humiliter supplicatum quod, licet ipse Guillelmus tonsuram habue-

---

33 Puede leerse también *magon*.



rit, quam tamen non deffert, ipsum ad tabellionatus officium de benignitate regia admittere dignaremur, id circo, ipsa supplicatione benigne admissa, vobis et cuilibet vestrum concedimus cum presenti quatenus dictum Guillelmum ad dictum tabellionatus officium, dicta ordinatione seu practmatica sanctione in aliquo non obstante, admittere valeatis, quamvis tonsuram habuerit, ut est dictum, ipse tamen assecurante idonec, ut per alios notarios dicte civitatis, qui a tempore citra dicte ordinationis in civitate eadem fuerint assumpti, assecurari extitit consuetum. Datum etc.

CXLIX.—*Donatio quorundam reddituum facta cuidam militi*<sup>34</sup>.

In Dei nomine. Pateat universis quod nos Petrus etc., sedule cogitantes quod, inter alia que regie serenitatis fastigium precipue decorare noscuntur et ad grata familiares inducunt obsequia et ceteros animant ad sincere devotionis fervorem, benemeritos insignire muneribus et laboriosa servicia munifice retributionis antidonis compensare, prospectis ergo serviciis arduis et utilibus que vos dilectus de domo nostra Petrus Pardo de la Casta, miles, cum puritate cordis, non vitatis periculis aut dispendio personali nobis fideliter et in armorum viriliter ac sedule prestitis<sup>35</sup> presertim in executione et processu justitie quem et quam fecimus contra inclitum Iacobum de Majoricis et homines atque terras nostro dominio rebellantes, dignum et debitum arbitramur ut magnificentia culminis erga vos, quem speciali tenemur gratiarum prerogativa preficere, sue libenter exuberet munificentie largitatem. Cum hac igitur carta nostra, perpetuis temporibus valitura, de certa scientia et consulte, habita deliberatione in nostro consilio, in aliqualem remunerationem et satisfactionem laudabilis laboris et nostre cotidie impensi tot milium solidorum Barchinonensium in puris redditibus vobis et vestris et quibus volueritis perpetuo damus, largimur et concedimus, gratiose habenda et percipienda singulis annis perpetuo per vos et vestros et quos volueritis in et super castris, locis et terminis et pertinenciis suis atque bonis Berengarii de Ulmis, Petri Raymundi de Codoletto, Andree Guiterii, Bernardi de Podio auluto, Berengarii Viuers, Raymundi de Pallarols et aliorum nobis rebellium in Rossilione et Ceritania, quorum bona, propter crimina per prenominatos et eorum quemlibet contra nos et alios comissa et quia, citati et vocati per nos sub pena amissionis bonorum eorum, coram nobis comparere non curarunt, immo neclexerunt et penitus contempserunt ad prestandum et faciendum nobis sacramenta fidelitatis et homagia tanquam comiti Rossilionis et Ceritanie licet alii milites et homines

34 El título de esta fórmula, como el de algunas anteriores y siguientes, está escrito en letra posterior a la del texto.

35 *Prestitistis*.

dictorum comitatuum comparuerint fere omnes et dicta homagia et fidelitatis sacramenta fecerunt et prestiterunt nobis, adquisita et confiscata existunt. Hanc itaque donationem et concessionem facimus vobis dicto Petro Pardo et vestri et quibus volueritis, perpetuo, pro proprio, francho et libero alodio, pure, libere et absolute et cum omni jure, dominio et jurisdictioni, quod et quam pronominati rebelles in dictis castris, locis et bonis habebant, antequam ipsa castra, loca et bona nobis ex causis predictis acquisita et confiscata fuissent, et sine omni conditione et retentione ad dandum, vendendum, comutandum, impignorandum, obligandum et alienandum et ad faciendum inde vestras et vestrorum omnimodas voluntates, sicut melius et utilius ad vestri vestrorumque salvamentum et bonum intellectum potest intelligi sive dici, ita quod vos et vestri possitis de dictis castris, bonis, juribus et redditibus ipsorum bonorum et locorum, donec fuerint pro predictis tot millibus solidorum, per nos vel alium seu alios de mandato nostro, vobis supplicante et requirente nobis, assignata certa loca vel bona cum juribus supradictis usque ad concurrentem quantitatem retinere, habere et percipere de redditibus, proventibus et exitibus dictorum annuatim. Promittentes firma et solenni stipulatione vobis et vestris per nos et omnes heredes et successores nostros quod dictarum donationem vobis et vestris servabimus et observari perpetuis temporibus faciemus et non contraveniemus aliqua ratione. Promittentes etiam per nos et nostros, bona fide regia obligantes ad hec nos et nostra, quod aliquid gratiose, vel aliter, non agemus vel faciemus propter quod in toto vel in parte absque vestri et vestrorum voluntate et assensu diminuat, vel quovis modo prejudicetur donationi predictae. Mandantes cum presenti ipsis heredibus et successoribus nostris et quibusvis aliis quorum interest quod hujusmodi concessionem et donationem ac promissionem nostras firmas habeant et observent et faciant inviolabiliter observari et non contraveniant quavis causa. Mandamus etiam cum presenti Michaeli Amarelli et Bernardo Raymundi, procuratoribus nostris reddituum et jurium nostrorum Rossilionis et Ceritanie, quod in possessionem pacificam predictorum, castrorum, locorum et bonorum et jurium ipsorum, modo et jure quibus supra, vos ponant ilico et obstaculum aliquod in ipsa possessione vobis vel vestris non apponant, nec aliqua ratione aponi permittant, imo vos et vestros in ipsa possessione manteneant et defendant. Mandantes etiam gubernatori Rossilionis et Ceritanie, vicariis, baiulis et aliis officialibus dictorum comitatuum quod predicta omnia et singula faciant inviolabiliter observari et, si opus fuerit, vobis et vestris ad tenendum et possidendum predicta prestant auxilium et favorem, quibusvis contradictionibus, oppositionibus, dilationibus et impedimentis penitus procul pulsis. In cujus rei testimonium etc.

Signum etc.

Testes etc.

CL.—*Instrumentum gratie ad tempus facte.*

In Dei nomine. Noverint universi quod ego Arnaldus Dortaldo attendens vos illustrissimum dominum Petrum, Dei gratia Regem Aragonum, vendidisse michi et meis ad imperpetuum, pro pretio duodecim millium solidorum Barchinonensium, castrum et locum de Basturc, cum mero et mixto imperio et exercicio ejusdem et omnia alia jurisdictione alta et baxia et totum directum et alodiale dominium, hostem et cavalcata et redemptionem ejusdem, monetaticum et cenam et questiam annuam et omnia alia jura, quas et que habetis et habere seu recipere consuevistis quoquomodo in castro, villa et loco de Besturc et in hominibus ibi populatis et ejus terminis, situato in vicaria Pallariensi, quod pro nobis tenetur et debet teneri et consuevit in feudum per nobilem Petrum vicecomitem de Vilamuro, et cum omnibus censibus, redditibus, exitibus, usaticis, asdevenientis et aliis juribus quibuscumque vobis et vestris successoribus pertinentibus, seu pertinere debentibus, aut valentibus quoquomodo in dicto castro et loco de Basturc et ejus terminis ac in hominibus et feminis habitantibus et habitaturis, prout in carta venditionis predictae confecta per Jacobum Conesa scriptorem vestrum ac notarium publicum per totam terram et dominationem nostram in palatio regio civitatis Barchinone, VIIII<sup>o</sup> Kalendas madii, anno infrascripto, noscitur latius contineri; attendentes etiam conventum fuisse inter vos dominum Regem et me ut ego deberem vobis facere instrumentum sub forma infrascripta, ideo, conventioni predictae inherendo, per me et omnes successores meos promito et convenio vobis dicto domino Regi quod, si vos vel successores vestri restitueretis, infra decem annos a presenti die in antea computandos, michi vel successoribus meis dictos duodecim millia solidos Barchinonenses, ego, vel mei successores, incontinenti ex tunc restituum et restituere teneantur vobis et successoribus vestris dictam cartam sive instrumentum et alias cartas inde secutas et revocabo, seu ipsi successores mei revocabunt et revocare teneantur omnino, venditionem predictam, sic quod ipsa venditio vel instrumentum ejusdem nullius sit valoris vel efficacie et res penitus sit incempta. Et premissa facio et promito ego dictus Arnaldus Dortaldo vobis dicto domino Regi et successoribus vestris in posse subscripti notarii, hec a me nomine vestro et omnium illorum quorum interest vel intererit stipulantis et recipientis, renunciando expresse omni legi, juri, rationi, consuetudini et cuiumque exceptioni eorum, que vel earum aliqua quovis modo possent super predictis vobis aut successoribus vestris nocere et me vel meos juvere. Quod est actum etc.

Signum mei notarii etc.

CLI.—*Procuratio facta per dominum Regem pro pecunia mutuo recipienda.*

Nos Petrus etc. Attendentes quod, ratione exequutionis justitie quam facimus et continuare intendimus, Altissimo permittente, contra inclitum Iacobum de Majoricis ac terras Rossilionis et Ceritanie, habemus mutuo recipere et aliis modis omnibus procurare diversas pecunie quantitates, nobis<sup>36</sup> necessarias pro subportandis immensis oneribus incumbentibus pretextu exequutionis predictae, ideo gratis et ex certa scientia, tenore presentis carte nostre firmiter valiture, facimus, constituimus et ordinamus vos Bertrandum Rubei, jam procuratorem reddituum et jurium nostrorum civitatis et regni Majoricensis, certum et specialem procuratorem nostrum ad habendum et recipiendum mutuo de consilio nobilis et dilecti nostri Arnaldi de Erillo gubernatoris dicti regni quasvis pecunie quantitates, nec non ad faciendum et recipiendum cambia a quibusvis civibus et mercatoribus civitatis Majorice et aliis quibuscumque et in quibuscumque locis cum prestatione lucri aut interesse, vel sine, et ad faciendum inde instrumentum et instrumenta debitoria et alias obligationes juramento in animam nostram et aliis promissionibus et securitatibus vallata et vallatas, cum obligatione et assignatione tam speciali quam generali reddituum et jurium predictorum et aliorum bonorum nostrorum et alias prout et eo modo illis a quibus dicta mutua vel cambia receperitis utile et expediens videatur; et ad faciendum et firmandum eisdem apochas de quantitibus vobis nostro nomine mutuatis seu nomine cambii receptis et generaliter omnia et singula faciendum, conveniendum et promittendum dictis personis, a quibus dicta mutua et cambia receperitis, que eis necessaria fuerint et utilia pro tuitione et securitate quantitatum nobis seu vobis nostro nomine mutuatorum, eis et eorum cuilibet, seu cui vel quibus voluerint, exsolverandarum, terminis constitutis seu comprehensis inter vos et ipsos, cum dampnis, missionibus, expensis et interesse, si quas, vel si qua eos contingeret facere, vel quomodolibet sustinere. Item constituimus vos procuratorem nostrum ad vendendum, distrahendum et alienandum quocumque alienationis genere, de consilio dicti gubernatoris, cuicumque vel quibuscumque personis et pro quocumque vel quibuscumque pretiis volueritis, altareas, terras et possessiones et alia quecumque bona mobilia et immobilia existentia in civitate et insula Majorice, seu aliis insulis eidem adjacentibus, quaruncumque personarum adherentium Iacobo de Majoricis supradicto, et ad faciendum et firmandum emptoribus dictorum bonorum instrumenta venditionum, cum obligatione et evictione bonorum nostrorum, ipsosque emptores ponendum et indu-

---

36 Aunque en el texto dice *vobis*, creo debe ser *nobis*.

cendum in possessionem dictorum bonorum, nec non pretia ipsorum recipiendum et inde apochas faciendum et denum omnia alia et singula gerendum, que in premissis et circa ea necessaria fuerint seu quomodolibet opportuna et que nos possemus facere personaliter constituti, etsi majora vel graviora fuerint superius expressatis. Nos enim vobis super predictis omnibus et singulis et aliis quibuscumque, in premissis et circa premissa necessariis et expedientibus vel inde dependentibus seu emergentibus quomodolibet, tradimus et comittimus liberam et generalem administrationem et plenarias vices nostras, promittentes et convenientes vobis in bona fide regia ac jurantes per dominum Deum et ejus sacrosancta quatuor evangelia, corporaliter a nobis tacta, quod quecumque vos dictus procurator noster, de consilio tamen, ut predictur, dicti gubernatoris, gesseritis et feceritis, tractaveritis, conveneritis, seu promiseritis in premissis vel ratione premissorum, rata, grata et valida habebimus eaque servabimus et complebimus ac servari et compleri inviolabiliter faciemus ipsaque, si expederit et dictis contrahentibus placuerit, laudabimus, approbavimus et confirmabimus cum carta vel cartis nostris juramento vallatis, et faciemus, prout per vos gesta, acta, conventa et promissa fuerint, valida perpetuo remanere sub nostrorum omnium obligatione bonorum. In cujus etc. Datum etc.

CLII.—*Infeudatio regni Majoricensis.*

Noverint universi quod, mota litte inter nos Petrum Dei gratia Regem Aragonum et Iacobum per eandem Regem Majoricarum super regno Majoricensi cum insulis Majorice et Evice et aliis insulis adjacentibus eidem regno et super comitatibus et terris Rossilionis et Ceritanie et Confluentis cum Vallespirio et Cauquilibero et super Montepessulano cum castris et villis dominationis Montispessulani, que omnia nos predictus Rex Aragonum dicebamus ad nos pertinere, tandem volentes a dicta litte discedere per compositionem et transactionem et fraterni amoris inter nos vinculum observare, nos Iacobus Dei gratia Rex Majoricarum predictus gratis et ex certa scientia ac spontanea voluntate per nos et omnes successores nostros recipimus a vobis domino Petro Rege Aragonum predicto fratre nostro et successoribus vestris Regibus Aragonum, in feudum honoratum, sine omni servicio, sub forma tamen infrascripta, totum predictum regnum Majoricense cum insulis Majorice et Evice et aliis insulis adjacentibus eidem regno, et omnes predictos comitatus et terras Rossilionis et Ceritanie et Confluentis, Vallispirii, Cauquiliberi. Item sine prejudicio juris alieni recipimus in feudum a vobis et vestris, secundum modum superius et inferius comprehensum, vicecomitatum Comeladesii et vicecomitatum de Barladesio cum omnibus villis et castris

ejusdem vicecomitatum et omnia etiam castra, villas et loca quaecumque, que pro alodio habemus in terris Montispessulani et dominatione et terminis ejusdem, et generaliter omnia alia quaecumque habemus sive habere debemus, ubicumque sint, cum militibus scilicet omnibus, feudis, jurisdictionibus et donationibus universis, sive illa teneamus ad manum nostram sive alii teneant pro nobis in feudum, exceptis feudis que tenemus ab episcopo et Ecclesia Magalonensi, pro quibus omnibus et singulis locis et terris ac juribus eorundem constituimus nos de presenti feudatarium vestrum, recognoscentes deinceps nos et successores nostros predicta omnia tenere a vobis et successoribus vestris Regibus Aragonum in feudum predictum honoratum, transferentes etiam in vos et successores vestros directum dominium omnium predictorum, quod directum dominium confitemur nos ex nunc vestro vestrorumque successorum nomine possidere et quasi in signum tradite possessionis dicti directi domini. Excipimus tamen a predicta recognitione feudi nos Iacobus, rex predictus, emptiones castrorum, villarum et locorum quas fecimus in predictis terris, quas nobis et successoribus nostris pro alodio retinemus. Sane volumus et concedimus quod heredes et successores nostri teneantur facere homagium vobis et successoribus vestris et dare potestatem de civitate Majorice et insularum Minorice et Evice et de Villa Podii Ceritani nomine et vice Ceritanie et Confluentis et de villa Perpinyani nomine comitatus Rossilionis et terrarum Vallispirii et castri Cauquilibri et de castro de Omelato, nomine et vice dicti vicecomitatus de Omeladesio, quas potestates dicti heredes et successores nostri teneantur dare vobis et successoribus vestris, quandocumque et quotienscumque requisiti fuerint per vos et successores vestros, irati et peccati, ratione recognitionis feudi et fatice juris<sup>37</sup>, nec predictas potestates possitis vos vel successores vestri firmare jus vobis et vestris in posse vestro et vestrorum, ac semel quolibet anno, cum fuerint requisiti, ire ad curiam vestram, et vestrorum in Cathalonia, nisi tunc quando fuerint requisiti dicti heredes et successores nostri in regno Majoricensi; nos vero in vita nostra non teneamur vobis facere homagium, nec dare potestatem, nec ire ad curiam vestram, nec firmare directum, nec constitutiones de novo faciendas per vos vel vestros observare. Promittimus tamen nos et nostri et ad hoc de presenti nos et et successores nostros obligamus quod juvemus, valeamus, deffendamus vos et successores vestros cum toto posse nostro contra omnes homines de mundo. Item promittimus per nos et nostros servare et servari facere in terris Rossilionis, Ceritanie et Confluentis et Vallispirii et Caucolibero usaticos, consuetudines et constitutiones Barchinone, factos et facta et etiam faciendos et faciendas per vos et vestros cum consilio majoris

---

37 Podría ser también *jure*.

partis baronum Cathalonie, sicut moris est fieri, salvis specialibus consuetudinibus locorum predictorum et terrarum, et quod in predictis terris Rossilionis, Ceritanie, Confluentis, Vallispirii et de Cauliberio currat moneta Barchinone et non alia. Retinemus tamen nobis et successoribus nostris quod possimus cudere et cudi facere absque contradictione et impedimento vestro et vestrorum in regno Majoricensi et Majorica? <sup>38</sup> et insulis eidem adiacentibus monetas et monetam de novo. Item retinemus nobis et successoribus nostris quod in nullo casu possit a nobis vel officialibus nostris vel successorum nostrorum appellari nec etiam per alium modum recurri ad vos dictum dominum Regem Aragonum vel successores vestros, salvo quod per hoc noc detrahatur in aliquo hiis que superius vel inferius continentur. Item quod nos et successores nostri possimus absque contradictione et impedimento vestri et vestrorum facere et ponere pedagium et novam legdam in regno Majoricensi et aliis insulis eidem adiacentibus, salvis libertatibus per predecesores nostros concessis hominibus nostris, nisi predictae libertates et privilegia sint de jure per contrarium usum vel alium modo obrogata. Item retinemus nobis et successoribus nostris bovaticum in dictis terris. Que tamen omnia que nobis retinemus volumus et concedimus esse de feudo seu feudis predictis, exceptis emptionibus supradictis, inhibitiones vero seu banna per vos vel successores vestros factas vel faciendas non teneamur vel successores nostri servari, nisi facte fuerint de consilio et assensu nostro vel nostrorum. Remittimus etiam questionem et demandam quam contra vos vel successores vestros facere possemus nos vel nostri usque ad hec tempora aliqua ratione. — Ad hec nos Petrus Dei gratia Rex Aragonum predictus, tenentes nos pro contentis de pactatis cum predictis a vobis Iacobo per eandem Rege Majoricarum fratre nostro nobis recognitis et concessis et volentes penitus discedere a dicta litte per nos nostrosque successores, laudamus et approbamus vobis predicto Regi Majoricarum fratri nostro et vestris successoribus, perpetuo, predictum regnum Majoricense, insulas, comitatus et terras, quas a nobis in feudum recipitis sub pactis et conventionibus supradictis, et promittimus per nos et nostros vobis et vestris juvare, valere et deffendere vos et vestros et regnum, terras et comitatus predictos et jurisdictiones vestras quas a nobis tenetis in feudis dum <sup>39</sup> toto posse nostro contra cunctos homines, remittentes per nos et nostros ex causa presentis impositionis, conventionis et transactionis vobis et vestris perpetuo omnem petitionem, questionem et demandam quam movimus vel movere possemus contra vos vel vestros usque ad hec tem-

38 Tal vez se trate de una repetición innecesaria de *Majoric* (las dos palabras van abreviadas de la misma forma: *Majoric*, y el signo general de abreviación).

39 Por *cum*.

pora de predictis regno et terris ac juribus eorundem aliqua ratione. Convenimus etiam et remittimus nos Petrus et Jacobus fratres, Reges predicti, quod substitutiones facte in cartis hereditamenti inter nos et nostros per dominum Iacobum inclite recordationis Regem Aragonum patrem nostrum et in testamento ejusdem patris nostri sint salve et in sua remaneant firmitate, salvis hiis que in hoc instrumento continentur. Et pro predictis omnibus complendis et firmiter attendendis obligamus nos et nostros ad invicem et omnia bona nostra et juramus per Deum et ejus sancta quatuor evangelia et facimus inter nos homagium ore et manibus ad invicem in presenti. Acta sunt hec omnia suprascripta in claustro domus fratrum Predicatorum Perpiniani, XIII<sup>o</sup> kalendas februarii, anno domini M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>LXX<sup>o</sup>VII<sup>o</sup>.

### CLIII. *Citatio.*

Illustri et magnifico principi Iacobo Dei gratia Majoricarum etc. Petrus etc. salutem etc. Attendentes, Rex inclite, quod, dum pro iudicio vel errori tempore congruo non resistitur illi, utrumque presumitur consentire, quodque plerumque jure opprimitur veritas et excedendi laxatur licentia, si circa id opportune provisionis auxilium subtrahatur, profecto, nec lesioni nostre sic presertim intolerabili consentire per negligentiam volumus, neque pati ob defectum providencie congrue nostre regalie detrimentum. Sane, sicut gravis de terris nostris rumor egressus nobis imponit et veritas prout fertur ascribit, vos in regnum Majoricense, insulas adjacentes eidem, comitatus et terras Rossilionis et Ceritanie, Confluentis, Vallispiri et Cauquilliberi et alias a nobis tenetis in feudum, sub certis pactis formis et modis in instrumento conventionem et ipsius infeudationis contentis, tanquam omnium predictorum immemores, contra fas et licitum et conventiones in ipsa infeudatione consertas, aliam monetam preter Barchinonensem curre<sup>40</sup> facitis et permittitis in dictis terris Rosilionis, Ceritanie et Confluentis, Vallispirii et Cauquilliberi et, quod esta gravius tolerandum, cuditis seu cudi fecistis et facitis patenter et publice monetam in villa Perpiniani, in dicto comitatu Rossilionis sistenti, nec non conflari seu fundi monetam regalem nostram Barchinone, seu argenti, que intacta penitus remansisse nec a vobis contaminationem aliquam debuerat succipisse. Cumque predicta, ad nos dudum crebris clamoribus jam prolata, nunc tanquam evidentia facti notoria fama communis undique publicet et multorum fidedignorum assertio manifestet, nosque illa, velut in comitatu Rossilionis, qui est infra limites Cathalonie quique generalis nostre ditioni subest imperio, in prejudicium dictarum conventionum ac contra usaticos Barchinone, quibus monetam facere in

---

40 *Currere.*



Cathalonie nobis solum est attributa facultas, illicite perpetrata et in prejudicium legis patrie in lesionem etiam universalem totius rei publice ac in offensam et injuriam nostre magestatis contempnibiliter sic comissa, non possumus nec debemus sub conniventia preterire, idcirco presentium serie vos citamus, vobis nichilominus iniungentes quatenus XXVI<sup>a</sup> die, si feriata non fuerit, aliter proxima sequenti non feriata, quem terminum vobis una pro tribus citationibus seu edictis peremptorium assignamus, compareatis personaliter coram nobis in civitate Barchinone, paratus super premissis omnibus subire iudicium et firmare de directo in posse nostro et aliter debite procedere super eis, prout de jure et ratione ac secundum usaticos Barchinone ac juxta conventiones inter predecessores nostros Aragonum et vestros Majoricarum Reges initas et inter nos et vos noviter renovatas fuerit faciendum, cum nos super predictis omnibus et quolibet premissorum et dependentibus ex eisdem facere intendamus quod justitia suadebit. Alioquin, lapso dicto termino quem, ut premittitur, pro peremptorio et preciso tenore presentium assignamus, procedemus in et super predictis, vestra absentia non obstante et contumacia exigente, prout juste et debite invenerimus faciendum. Datum etc.

CLIV.—*Ex parte domini Regis nostri Regi Majoricarum qui non consanguineus nec ffrater carissimus dici meretur.*

Vestras noviter recepimus litteras respondentes ad illas, quas super captione personarum et marcha honorum et rerum quorundam subditorum nostrorum per vos vel de mandato vestro factis pridem vobis duximus dirigendas, quibus breviter respondemus quod pro illa quantitate, quam ratione dotis illustris Regine Majoricarum conjugis vestre consortisque nostre carissime vobis asseritis nos teneri, pro qua potestates regni Majoricensis et aliarum terrarum vestrarum tenetis titulo pigneris obligatas, vobis non licuit ad captionem seu marcham procedere memoratam, cum, ipsa obligatione contenti, nunquam super solutione ipsi nos duxeritis requirendos nec similiter pro aliis pluribus et diversis pecunie quantitibus in dicta littera vestra singulariter expressatis, cum omnes remisse fuerint et sublata in transactione dudum facta super jure quod nostris progenitoribus competeat et per consequens nobis in regno et terris predictis, ut constat per publica et que legitima documenta, que quidem transactio facta fuit in maximam, evidentem atque notoriam utilitatem vestram et in casu licito et permissio et, si super eis solvendis requisitiones vestre processerint, nostra eis justas atque legitimas responsiones fecimus<sup>41</sup>, requisitiones ipsas totaliter perimentes, et propter quas ab executione

41 Por fecissemus.

requisitionum ipsarum vos supersedere omnino vel verius desistere oportebat; efluxerat insuper a requisitionibus ipsis tantum temporis spatium quod ante processum predictæ captionis et marche iterum repeti debuissent. Ceteris vero in littera ipsa contentis, quia veritas negata de publicis minus relinquit fidei de occultis, non consentimus, immo expresse contradicimus ex causis justis et rationabilibus que suo loco et tempore apparebunt. Datum etc.

CLV.—*Domino pape ex parte domini Regis, super facto Regis Majoricarum.*

Quamvis, pater santissime, firmiter oppinamus sanctitatis vestre notitiam saltim fame discurrentis preloquis non latere que Rex iste Majoricarum, quem stilo circa eum solito non describi subscripta ejus demerita meruerunt, contra nos dampnatis ausibus incohavit, ut tamen super hiis et aliis postmodum subsequitis beatitudo vestra clarius informetur, ea omnia serius illi hoc scripto perducimus cerciori. Et si quidem cum predecessores ipsius Regis Majoricarum et ipse a progenitoribus nostris et nobis tenuerint in feudum et teneant sub certis pactis, formis et modis, in instrumento conventionum et ipsius infeudationis contentis, regnum Majoricense, insulas adjacentes eidem, comitatus et terras Rossilionis et Ceritanie, Confluentis, Vallispirii et Cauculiberi et omnes alias quas habet ubique, excepto dum taxat loco de Montepessulano quem ab illustri Rege Ffranchorum carissimo consanguineo nostro tenet in feudum, nobisque clamor validus protulisset quod Rex ipse, regie dignitati non defferens et generis sui claritati non parcens, contra conventiones in ipsa infeudatione consertas, aliam, preter monetam nostram Barchinone, in dictis comitatibus currere faciebat et, quod erat gravius, cudebat seu cudi faciebat patenter et publice monetam novam in villa Perpiniani, in dicto comitatu Rossilionis et infra principatum nostrum Cathalonie consistente, quodque conflari seu fundi faciebat regalem monetam nostram Barchinone seu argenti, que intacta penitus permansisse, nec ab eo contaminationem aliquam debuerat suscepisse, nos, attendentes predictum Regem in prejudicium et lesionem enormem conventionum et infeudationis ipsarum ac contra usaticos Barchinone, quibus monetam facere in Cathalonia nobis dumtaxat noscitur pertinere, premissa contra fas et licitum perpetrasse ac in prejudicium legis patrie et universale dispendium totius rei publice, nec minus in offensam notabilem et iniuriam nostre magestatis regie talia comisisse, cum ea sine gravi scandalo nostrique vehementi contemptu non possemus nec deberemus sub conniventia preterire, eundem citavimus, iniungentes quod certa die per nos sibi prefixa coram nobis in civitate Barchinone personaliter compareret, paratus super premissis omnibus subire iudicium et firmare de directo in

posse nostro et aliter debite procedere in premissis, prout de jure et ratione ac secundum usaticos Barchinone et juxta dictas conventiones inter predecessores nostros et suos initas et inter nos et ipsum novissime renovatas ac juramento et homagio nostris predecessoribus atque nobis per cum ter prestitis roboratas erat et est nobis astrictus et efficaciter obligatus. Et cum idem Rex contra nos rebellionis calcaneum erigens coram nobis, prefixo sibi termino aut etiam die sequenti, comparere vel aliquem mittere responsalem, non absque notoria contumacia, contempsisset, nos in nostro palatio Barchinone, ad quam citatus fuerat, pro tribunali sedentes Regem ipsum reputavimus atque decrevimus contumacie, declarantes quod contra ipsum et bona sua, tanquam contra contumacie et firmam juris sive directum jus facere recusantem, juxta usaticos Barchinone procedere poteramus, videlicet ad occupationem feudorum realem, nullo processu alio precedente per ipsos usaticos et jura patrie quibus subest. Igitur, convocatis ad certum diem baronibus, nobilibus et exercitibus nostri pro executione hujusmodi facienda, beatitudo vestri, que more pii patris non preterivit incomoda filiorum, misit ad nos venerabilem Armandum, Aquenensem archiepiscopum, vestrum nuncium sive legatum, virum quidem pacis amicum et concordie zelatorem, qui viis ac modis utique salubribus exquisitis tractatum in eundem concordie incohavit, ad cujus ingentem instantiam et preces Regis predicti guidaticum sibi concessimus, cujus simile nunquam a nobis petitum extitit aut concessum, et etiam vestre reverentiam sanctitatis prorogavimus terminum qui per nos dictis exercitibus indictus fuerat pro premissis, dicto vero Rege Majoricarum ad dictam civitatem Barchinone ad quam dictus legatus jam antea venerat accedente, quem durum et obstinatum ad dictam firmam faciendam prius invenimus, post inceptos tractatus cum dicto legato ad hec invenimus duriores, pena neglecta que defferentibus<sup>42</sup> hujusmodi firmam facere infligitur per dictos usaticos Barchinone quibus subesse dinoscitur, ut prefertur, pro feudis superius expressatis. Nos autem, hec omnia inconsultis ejus motibus ascribentes ac obtantes viam aperire concordie illumque a tanti erroris invio per quod precipiti passu fluit lenimento clementie revocare, ad instantiam dicti legati et ob reverentiam sedis apostolice guidaticum prorogamus supradictum, quopendente, cum non posset ulterius vulnerate conscientie sue neffanda contegere, adhuc existens in civitate Barchinone et allegans dictas conventiones et infeudationes viribus et effectu carere, predictum regnum Majoricense, nec non comitatus et terras predictas se a nobis in feudum tenere cum instrumento publico denegavit, nolens prudenter attendere quod modico lapso tempore predictas conventiones renovans, ut est dictum, se predicta pro nobis in feudum tenere, presente gentium

---

<sup>42</sup> Por *differentibus*.

multitudine copiosa, prestitó nobis inde sacramento et homagio publice recognovit, prout constat per diversa super hiis confecta publica instrumenta, postque, recepto a nobis comeagio, illustrem Reginam Majoricarum consortem suam nostramque sororem carissimam dominam utique providam et honestam, ab ea nullo comeatu recepto, solam in nostro palatio Barchinone, non ut decuit, set ut libuit, omni propulsa curialitate, reliquit et omnes dominas ac domicellas que dicte Regine servire ipsamque associare consueverant secum ducens per mare a dicta civitate recessit. Qui, detestabile vitium ingratitude non evitans et potentiam nostram in superba obstinatione contempnens, durante guidatico per nos sibi concesso et tanquam contra ipsum executionem aliquam faceremus, non erubuit<sup>43</sup> set presumpsit hostili more, nulla diffidatione premissa, ex quo multorum iudicio non modicam notam incurrit, pendente dicto guidatico, mercatores et alios subditos nostros in comitatibus seu terris predictis sub spe securitatis sue morantes et alios ubique repertos capere et bona eorum occupare, nec adhuc desinit contra nos et subditos nostros per terram et mare conatus suos hostiles jugiter exercere. Cum itaque, pater sanctissime, tante temeritatis audaciam in nostre regie magestatis regie lesionem non modicam et offensam et subditorum nostrorum ac rei publice nostre vehemens dispendium attemptatam nequeamus, sicuti non debemus, equanimiter tolerare, nec pati possimus quod feudum tam nobile a nostra corona regia separetur et propterea, teste Dei<sup>44</sup>, inviti contra dictum Regem, qui rebellandi audacia, jurium nostrorum interversione regalium nostrique, quantum in eo est, abiectioe domini non contentus, sic impie nostros subditos impetit et apertis conatibus nos infestat, nec contra terras ipsius recti censura iudicii tanquam superior et directus dominus dicti feudi undique procedere intendamus, sanctitati vestre humiliter supplicamus quatenus, justitiam nostram tanquam notoriam amplectentes eique faventes nosque super huiusmodi processu rationabiliter excusatos habentes, predicti Regis suggestionibus, cum in premissorum consideratio indicat evidenter non in veritatis simplicitate set in rebellionem studiosa procedant, nullum, si placet, beatitudo vestra auditum prebeat, nec ejus de cetero tractatibus se involvat. Almam etc.

CLVI.—*Collegio Cardinalium super eodem.*

Reverendis in Christo patribus dominis sacrosancte Romane ecclesie Collegio Cardinalium specialibus amicis nostris. Petrus etc. salutem et debitam reverentiam cum honore. Quantis injuriis, preiudiciis intolerabilibus et offensis Rex Majoricarum nos hactenus provocarit,

---

43 Por erubuit.

44 Deo.

cudendo monetam novam in villa Perpiniani ac currere faciendo aliam  
 preterquam monetam Barchinonensem in comitatu Rossilionis intra prin-  
 cipatum Cathalonie constituto, necnon conflari seu fundi fa-  
 ciendo monetam nostram Barchinonensem, que intacta penitus perman-  
 sisse, nec ab eo contaminationem aliquam debuerat recepisse, que  
 omnia conventiones inter progenitores nostros et suos initas et in infeu-  
 datione regni Majoricensis, comitatum Rossilionis et Ceritanie et alia-  
 rum terrarum que a nobis tenet in feudum in partibus cismarinis inser-  
 tas fieri prohibent manifeste, ad vos et plurimum aliorum notitiam sci-  
 mus et credimus pervenisse. Sane, cum super hiis omnibus citatus a no-  
 bis et repertus contumax et rebellis, propter quod declaratum fuit juste  
 per nos quod contra ipsum et bona sua, tanquam contra contumacem  
 et firmam juris sive directum facere recusantem, ad occupationem rea-  
 lem feudorum omnium predictorum litte poteramus procedere, nullo  
 processu alio precedente, juxta usaticos Barchinone et jura patrie qui-  
 bus subest pro feudis superius expresatis, sanctissimus dominus sumus  
 pontifex venerabilem Armandum Aquenensem archiepiscopum, sedis  
 apostolice nuncium, ad nostram et dicti Regis presentiam destinavit,  
 qui, licet pro hujusmodi controversiis seu questionibus sopiendis una  
 cum aliis mediatoribus providis pacis amicis tractatum in eundem  
 concordie provide incoasset, nunquam tamen Rex ipse potuit a precon-  
 cepto proposito quomodolibet flecti, quinimo se ab ejus et aliorum mo-  
 nitis salutaribus retrahens perduravit in terminis valde distantibus et  
 remotis, nam, quod est nephandum et exemplo perniciosius nobisque  
 nostre corone regie intolerabilius, predicta omnia se a nobis tenere  
 in feudum cum instrumento publico denegavit, considerare dedignans  
 quod pro ipsis feudis progenitoribus nostris et nobis homagium ac fide-  
 litatis et vassallagii juramentum ter prestitit, ut constat per publica do-  
 cumenta, propter quod eidem papali nuncio, frustrato spe sua, ab sacram  
 dicti domini pappe presentiam revertenti, claram et liquidam informatio-  
 nem super justitia et juribus nostris tradidimus, ut innocentia nostra  
 et dicti Regis injuria dicto domino summo pontifici panderetur. Et  
 quia vehementer appetimus quod vobis omnibus, quos dominantium  
 dominus apostolorum statuit successores quique estis Ecclesie genera-  
 lis candelabra, supra montem et non sub modio contituta, predicto-  
 rum veritas reseretur, mittimus ad vos fidelem portarium nostrum Ber-  
 nardum de sancta Columba latorem presentium predictae informatio-  
 nis transcriptum sub nostro sigillo munitum, reverendum ac honora-  
 bilem cetum vestrum affectuosissime deprecantes quatenus predictam  
 informationem legerere <sup>45</sup> et in consistorio rationis introducere placeat,  
 ut noster prospicax <sup>46</sup> intellectus recipere valeat quod contra dictum

---

45 *Legere.*

46 *Perspiciar.*

Regem juxta <sup>47</sup> ratione procedimus et movemur, nec inclita domus nostra tanti feudi tanquam nobilis et notabilis membri sic perniciosam et intolerabilem sectionem sicque lesionem enormem ac evidentem injuriam patiat. Datum etc.

CLVII.—*Cardinali Rutinensi. Super eodem.*

Licet ad nostram innocentiam et justitiam Regisque Majoricarum culpam et injuriam ostendendam in scriptis tradi fecerimus venerabili Armando, Aquenensi archiepiscopo, quem sanctissimus dominus summus pontifex pro sopiendis amicabiliter questionibus quas inter nos et dictum Regem ad invicem pacis emulus suscitavit ad vestri dictique Regis presentiam pridem misit, claram et liquidam informationem nostram, per eum eidem domino summo pontifici presentandam, nec non et ipsius informationis transcriptum per fidelem portarium nostrum Bernardum de sancta Columba, latorem presentium, reverendo Collegio Cardinalium noviter transmittamus, quia tamen, in tam arduis negotiis nos et regiam domum nostram non mediocriter set sume tangentibus, ex speciali fiducia quam de vestra paternitate gerimus vos singulariter providimus informandum, transsuptum informationis premissae, rationes jure nostri tangentes et causa brevitatis instrumentorum exempla in eo pretermitti jubentes, vobis mittimus per portarium memoratum, paternitatem vestram affectuose rogantes quatenus, hiis nostrum et inclite domus nostre zelantes honorem, rationes informationis ipsius legatis et discutiatis, sollicite, ut cum bona conscientia possitis conferendo juribus nostris assistere et nullus alius de contrario vos valeat informare. Datum etc.

CLVIII.—*Regi Roberto. Super eodem.*

Considerantes vicissitudinis vinculum quo domus utraque regia inviolabiliter est conjuncta, dignum et debitum arbitramur ut quecumque ardua nobis et regali corone nostre quomodolibet occurrentia vestre celsitudini rescremus, habet hoc namque sanguinis et amoris conjuncta dilectio, ut illos ad quos presertim afficitur participes faciat, sicut in prosperis in adversis. Sane, Rex inclite, inviti trahimur ad vestram et aliorum notitiam principum adversus Regem Majoricarum, quem stilo circa ipsum hactenus solito non describi subscripta ejus demerita meruerunt, materiam publice conquestionis afferre, qui, regie dignitati non defferens et generis sui claritati non parcens, contra nos et inclitam domum nostram talia, prout sequitur, temere visus est attemptare. Et siquidem etc., prout in dicta littera domino pappe directa que supra continetur, omisso id quod de domina Regina Majoricarum in dicta littera

---

47 *Justa.*

continetur usque ad id quod sequitur: Cum itaque tante temeritatis audacia<sup>48</sup> in nostræ magestatis offensam et subditorum nostrorum vehemens dispendium attemptatam nequeamus, sicuti non debemus, equanimiter tolerare, nec possimus permittere nostram coronam regiam membro tam nobili tamque notabili mutilari, sicque, teste Deo, multum inviti ad contrahendam dicti Regis proterviam<sup>49</sup> ubique per mare et terram potenter procedere intendamus, serenitatem regiam, quam scimus equitatem et fidelitatem diligere, attentius deprecamur quatenus dicto Regi vel ei adherentibus nullum, quem apud aliquem principem catholicum non meretur, contra premissa favorem, auxilium, gratiam vel subsidium aliquatenus impendatis, nec per gentes vestras eidem preberi auxilium, aut a regnis et terris vestris, palam vel occulte, per quemcumque arma vel victualia extrahi et ad partes dicti Regis Majoricarum duci vel transvehi quomodolibet, si placuerit, permittatis. Datum etc.

CLIX.—*Duci Janue. Super eodem.*

Pensantes concordie vinculum quo inclita domus Aragonensis ac honorabile comune Janue, actore domino, firmiter sunt connexa, nec non sinceritatis affectum quem ad nos et regiam domum nostram vestra devota dilectio gerere comprobatur, dignum et debitum arbitramur ut queque ardua nobis occurrentia vestre prudentie rescremus. Sane, inviti trahimur ad vestram et aliorum magnatum notitiam adversus Regem Majoricarum quem carissimum consanguineum nominari non patitur exprimentus inferius status ejus materiam publice conquestionis afferre, qui, regie dignitati non defferens et generis sui claritati non parcens, contra nos et dictam regiam domum nostram molitus est talia, prout sequitur, attemptare. Et siquidem etc., ut in alia directa Regi Roberto; in fine autem, ubi scribitur ibi in conclusione, serenitatem, ponatur sic: nobilitatem vestram, quam scimus veritatem et fidelitatem diligere, attentius deprecamur quatenus, considerantes attente quam sit horrible quam dampnandum vassallum in dominum et subiectum in principem talia presumpsisse, predicto Regi, subditis suis, vel eis quomodolibet adherentibus, nullum, quem ut premissa declarant apud aliquem fidelem presidem vel prefectum catholicum non meretur, contra hec favorem, auxilium, gratiam vel subsidium aliquatenus impendatis, nec per districtuales vestros eis preberi auxilium, palam vel occulte, seu per quemcumque, arma, victualia, seu queque alia illis necessaria de partibus vestri districtus quomodolibet extrahi et ad terras dicti Regis Majoricorum duci vel transvehi aliquatenus permittatis, immo districte id omnibus cohibere curetis; hoc autem vobis regraciabimur

48 *Audaciam.*

49 *Proterviam.*

plurimum et nos inducet indubie ad grata vobis in similibus vicissitudine respondendum. Datum etc.

CLX.—*Presentatio alicujus beneficij.*

Petrus etc. venerabili in Christo patri..., divina providentia episcopo Gerundensi, salutem et dilectionem. Cum beneficium altaris sancte Marie siti in ecclesia castri nostri de Castro, ut intelleximus, vacet ad presens per resignationem... qui ipsum obtinebat, cujusquidem beneficij jus patronatus ad nos de jure dinoscitur pertinere, ideo..., clericum vestre diocesis, tanquam benemeritum ac satis sufficientem et idoneum ad dictum beneficium obtinendum, vobis auctoritate presentium ducimus presentandum. Quare vos requirimus et attente rogamus quatenus **dictum clericum** admittere et in dicto beneficio instituere cum omnibus suis juribus debeatis. Datum etc.

CLXI.—*Franchitas pascuorum et aliorum jurium.*

Dum placida pariter et accepta servitia, per vos fidelem subbotellarium nostrum... serenissimis parentibus nostris clare memorie longevis satis temporibus prestita et que vestra fidelitas nobis actenus prestiti<sup>50</sup> et continuis actibus impendere jugiter non desistit, in lance nostre considerationis appendimus, dignum ducimus ut vos congruis et utilibus gratiarum favoribus prosequamur. Volentes itaque premissorum obtentu illa vos prosequi gratia, que sit vestris utilitatibus opportuna, cum presenti carta vobis concedimus et facultatem plenariam impertimur quod per omnia et singula loca regnorum et terrarum nostrarum omniumque terminorum locorum ipsorum possitis ducere, tenere et pascere, seu duci vel pasci facere, omnes pecudes omniaque bestiarum vestra minuta que tantum vestra sint propria, omni fraude reiecta, francha, libera, exempta penitus et immunita ab omni lezda, pedagio, passagio, erbagio, carnalagio et alio jure quocumque, seu quovis genere vectigalium quorumcumque, ita quod vos pro aquis vel pascuis vestrarum pecudum seu alterius bestiarum minuiti<sup>51</sup>, vestri dumtaxat proprii, cujuscumque sit numero, aut pro transitu aut ipsius passagio nullam leudam nullumque pedagium, passagium, erbagium, carnalagium, aut aliud jus, quocumque nomine censeatur, teneamini solvere vel prestare, ymo sitis a quacumque premissorum et singulorum prestatione franchus, liber, exemptus penitus et immunitus; ab hac tamen concessione boalaria, devesias seu loca vetita tantum ducimus excludenda. Preterea retinemus quod presens concessio duret et valeat dum nobis placuerit et non ultra.

50 *Prestitit.*

51 *Minuiti.*



Mandamus itaque, cum presenti, gubernatori nostro generali ceterisque gubernatoribus, vicariis, justitiis, baiulis, lezdariis, pedagiariis, pascuorum custodibus ceterisque officialibus et subditis nostri ipsorumque officialium loca tenentibus, presentibus et futuris, quod presentem gratiam et concessionem nostram juxta sui seriem observent et faciant inviolabiliter observari, nec contra ea vos, nuncios, custodes, pastores aut ductores dicti bestiarum vestri non agravent, aut gravari permitant, exigant, sive recipiant pro premissis, dum nobis placuerit, ut prefertur. In cujus rei testimonium etc. Datum etc.

CLXII.—*Quedam remissiones et donaciones, facte per dominum Regem, Jacobo de Majoricis.*

Petrus etc. Multorum crebris et importunis clamoribus excitati, ex causis evidentibus, venerabilibus atque justis, quas revera indismulare seu sub conniventia preterire sine peccato et divine magestatis offensa et tolerare absque rei publice evidenti lesione et in periculo manifesto minime pototeramus<sup>52</sup>, previis processibus legitimis juxta jura patrie et aliter pro executione justitie, regnum Majoricense cum insulis eidem adiacentibus apprehendissemus in manu potenti. Et subsequenter, multis castro locis et fortaliciis comitatus Rossilionis et terrarum Vallespirii et Coquiliberi ac civitate Elne nostre ditioni feliciter subiugatis nobisque existentibus in castris seu tentoriis in circuitu civitatis predictae cum militia et exercitibus nostris, ad supplicationem vestri incliti Jacobi de Majoricis offerentis absolute vos in nostra ponere potestate et nichilominus nobis tradere virtute processuum et executionum predictorum omnia et singula loca que adhuc possidebatis et nondum ceperamus, licet jam essent exdictis causis et processibus nostro pleno et immediate dominio acquisita, necnon ad supplicationem ingentem quorundam baronum nostrorum pro vobis apud nos intercedentium humiliter et devote, dictam oblationem clementer duximus acceptandum, postque attento quod, licet precessissent offense gravissime que penas quasi irremissibiles indicabant, ut tamen dicipline misericordia non deceset nec misericordie disciplina, successim, tam zelo rectitudinis et justitie circa dictos processus necessario per nos factus<sup>53</sup> et secuta etiam ex eisdem, quam putatis et clementie inferius vobis misericorditer oblati, remissis atque donatis, et intuitu inclite Constancie, sororis nostre carissime uxorisque vestre, disponentes, completa perfecte executione predicta, vobis habere gratiosum et misericordiosum esguardum, parlamentum et generale consilium in civitate Barchinone nostrarum gentium providimus convocari, in quo cum inclitis infantibus de domo

<sup>52</sup> *Patoramus.*

<sup>53</sup> *Palabra enmendada. Debe ser factos.*

nostra regia, prelati, baronibus et nunciis civitatum, regnorum et terrarum nostrarum, collatione, consilio et tractatu habitis et eorum omnium sequendo consilium, deliberaverimus vobis dicto inclito Jacobo de Majoricis de subscriptis misericorditer providere.

Primo siquidem remittimus et donamus de certa scientia et consulte vobis dicto inclito Jacobo de Majoricis et filiis vestris ex vobis et dicta uxore vestra procreatis et procreandis et liberis eorundem utile dominium vicecomitatum Omeladesii et Carladesii et terrarum Montispessulani, qui pro nobis dudum ante dictos processus per vos tenebantur in feudum, quod quidem utile dominium ex dictis causis et processibus fuit nobis legitime adquisitum.

Remittimus insuper et donamus vobis, dicto inclito Jacobo et filiis vestris predictis et liberis eorundem, directum et alodiarium dominium quod habemus in proxime dictis vicecomitatibus atque terris, ita quod deinceps vos et filii vestri predicti et eorum liberi eosdem pro francho et libero alodio in pleno dominio habeatis; que quidem remissiones et donationes magni valoris et extimationis existunt.

Preterea remittimus et donamus vobis, dicto inclito Jacobo, expensas maximas quas fecimus in executione predicta quam cum militia et exercitibus nostris et armatis navigiis peregrimus, divina gratia annuente, que ascendere dinoscuntur quasi ad inextimabiles quantitates, ad quas solvendas et reficiendas nobis indubie tenemini, secundum usaticos Barchinone et consuetudines Cathalonie, quibus in predictis procul dubio suberatis.

Item ultra predicta, que magni ut prefertur ponderis et valoris existunt et que ad clemenciam dicti esguardi rationabiliter sufficere videntur, damus vobis dicto inclito Jacobo de Majoricis et liberis vestris predictis decem milia libras Barchinonenses in redditibus perpetualibus annualibus, que solvemus et solvi faciemus vobis anno quolibet, seu cui volueritis, in tribus particularibus solutionibus, videlicet certam partem dicte quantitatis in qualibet solutione in aliquo loco nostro Cathalonie, quem vos duxeritis eligendum; predicta autem vobis donata, que penes dictos liberos vestros post mortem vestri plene et libere et absque alio onere quam substitutionis infrascripte volumus et disponimus perpetuo remanere, non possitis alienare vel in alium transferre quovis titulo sive causa. Dita <sup>54</sup> nempe decem milia librarum promittimus vobis solvere vel solvi facere, annuatim, in dicto loco, donec loca redditus et bona habuerimus extra regna et terras nostras valentia dicta decem milia librarum in redditibus perpetualibus, ut prefertur, et ipsa vobis et vestris assignaverimus et tradiderimus pacifice et quiete, quo casu liberemur ipso jure a prestatione dictarum decem milia librarum.

Volumus tamen et retinemus quod vos dictus inclitus Jacobus te-

---

54 *Dicta.*

neamini providere et alimentare dictam inclitam uxorem vestram et liberos comunes predictos de dictis decem millibus librarum et aliis bonis vestris superius expressatis et eidem inclite Constancie dotem et augmentum sufficienter assecurare et pro ipsis prenominata bona etiam obligare.

Retinemus quod, si vos vel liberi vestri predicti decesseritis sine liberis masculis quancumque, predicta omnia immobilia que vobis donamus nobis et heredibus nostris et successoribus libere revertantur; ceterum, predicta omnia vobis dicto inclito Jacobo de Majoricis et liberis vestris predictis offerimus, remittimus et donamus, si vos firmaveritis, feceritis et compleveritis omnia et singula que secuntur, aliter dicta obligatio, remissio et donatio pro non factis penitus habeatur.

Primo, quod vos restituatis perfecte et cum effectu omnia instrumenta et incartamenta, capibrevia, registra et scripturas quascumque publicas et privatas, facientes vel facientia, in toto vel in parte, comuniter vel divisim, pro civitate et regno Majoricensi et insulis ei adiacentibus et comitatibus Rossilionis et Ceritanie, terris Confluentis, Vallespirii et Coquiliberi et aliis eisdem adiacentibus vel pro singulis locis et bonis quibuscumque ad nos pertinentibus ratione processuum et executionis predictorum et aliter<sup>55</sup> quoquomodo situatis in dictis regno, civitate, insulis, comitatibus et terris et juribus eorundem, et promittatis nomine vestro et filiorum vestrorum, solenniter, et obligetis vos idonee per vos et eosdem filios vestros et successores non movere vel facere aut moveri vel fieri facere imperpetuum per filios vestros, in vita vestra vel post, vel per alios quoscumque a vobis vel liberis vestris causam habentes, comuniter vel divisim, molestationem, inquietationem, vexationem, impetitionem, controversiam sive litem contra nos vel heredes aut successores nostros et gentes nostras pro civitate, regno, insulis, comitatibus et terris et locis superius expressatis, vel aliquo eorundem.

Item restituere teneamini et restituatis nobis omnia et singula instrumenta et quascumque cautelas et scripturas publicas vel privatas quomodocumque et sub quavis forma verborum factas quarumcumque obligationum, confesionum firmatarum et factarum per quasvis universitates locorum dictorum, comitatum et terrarum et singularium eorundem vel aliorum quoruncumque, in quacumque curia ecclesiastica vel seculari, in iudicio vel extra, vel aliter, et in quibuscumque locis, territoriis, seu jurisdictionibus, super eo videlicet quod dicte universitates vel singulares earum vel alii non obedirent nobis nec processibus per nos factis, nec super eis vel aliis super jure nostro informationem reciperent, nec alium in dominum<sup>56</sup> admitterent quam vos vel filios vestros, nec quicquam aliud facerent in favorem nostri vel alio quoquomodo

<sup>55</sup> *Alio?*

<sup>56</sup> Palabra tachada y enmendada, debido a lo cual parece haber duda entre *dominium* y *dominum*. Creo más correcta la lectura transcrita.

quicquam contra nos facere attemptarent; et nichilominus renunciatis ex certa scientia et expresse omnibus et singulis obligationibus et confessionibus supradictis et omnibus aliis qualitercumque factis per eos qui vobis sacramentum fidelitatis vel homagia prestiterunt in favorem vestrum, contra nos aut jura nostra vel subditos nostros et processus supra tactos.

Item quod vos teneamini resignare et cum effectu resignetis titulum regalem et comitalem et omnia insignia regalia ac sigilla in quibus describuntur titulus et magestas regia fundere prorsus et in sigillis, vexillis et armis vestris noviter faciendis aliquam differentiam notabilem facere, sicut infantes de regia domo nostra facere consueverunt et in aliis domibus regiis mundi fieri consuevit.

Item quod vos et liberi vestri teneamini nos servare indemnes ab omnibus obligationibus quas feceritis quibuscumque personis usque ad diem presentem et ab omnibus creditoribus et personis, qui quem adversus nos vel bona nostra proinde possent quomodocumque habere regressum.

Denique reservamus et retinemus nobis ac statuimus quod, si vos aut liberi vestri vel aliqui alii a vobis vel eis causam habentes imposterum aliquo tempore faceretis vel veniretis aut facere vel venire quomodolibet attemptaretis in iudicio vel extra, contra contenta in capitulis suprascriptis vel aliquod premissorum, vel dampnum, iniuriam, molestiam vel offensam ex causis predictis quomodolibet irrogaretis vel irrogari per vos vel alium, palam vel occulte, faceretis vel attemptaretis regnis, terris et locis vel gentibus nostris, ipso facto amitteretis et amittere eo ipso censeremini omnia supradicta per nos vobis et dictis liberis vestris remissa et donata et ea possemus nos et successores nostri auctoritate propria retinere et occupare, aut petere suis casibus tanquam nostra.

Item quod dictam obligationem seu gratiossum esguardium teneamini acceptare vel respuere, infra XV dies ab intimatione presentis scripture vobis fienda in antea numerandos, in manu et posse Raymundi Sicardi notarii subscripti, aliter dictum esguardium et oblatio pro nullis protinus habeantur et ab inde ad tenendum et servandum cta vel aliquid in eis contentum minime teneamur.

CLXIII.—*Treuge indicte per dominum Regem.*

Petrus etc. dilectis nostris .t. et .t. salutem etc. Cum in guerra que est, ut asseritur, seu esse speratur inter vos et valitores vestros, ex una parte, et t. et... et valitores suos, ex altera, treugam sex mensium dederimus a data presentium in antea continue numerandum ex nostra regalia ac nostre plenitudine potestatis, idcirco vobis dicimus et expresse mandamus quatenus dictam treugam teneatis per dictos sex menses et firmi-

ter observetis. Nos enim per aliam litteram sub data presentis jant dictis tali et .t. simile facimus mandamentum. Datum etc.

CLXIV.—*Reparatio carte abolite seu delete.*

Jacobus Dei gratia Rex Majoricarum, comes Rossilionis et Ceritanie ac dominus Montipessulani. Recordamur a nostra cancellaria emanasse quandam litteram continentie subsequens: Jacobus Dei gratia Rex Majoricarum, Rossilionis ac Ceritanie ac dominus Montipessulani. Sicut non est dignum ut inde honor exigatur unde labor reffutatur similiter et hii ceteros gradus debent antecedere quos labores prolixiores fecerint anteire; unde, cum ex iniuncto officio tam uxerii quam servientes armorum circa fidelem custodiam persone nostre, in cujus custodia totius rei publice status noster custoditur et servatur, quam plurimum frequenter armis utendo et aliis modis pluribus habeant tam mente quam corpore laborare, ut incolumen continue pre ceteris per armorum exercitium personam regiam servent, in solatium ipsorum, ne in maris pelago pre laboribus fluctuantibus spe et directione nostrorum beneficiorum et largitionum careant et ut quibus nostre persone custodia est onerosa saltim intuitu tanti dispositi eis comissi sit non modicum fructuosa, vobis, tali et tali, nostris uxeriis et servientibus armorum et quibuscumque qui in futurum militare in ipsis officiis dinoscentur per nos et successores nostros concedimus et promittimus per presentem quod, postquam ad predicta officia vos vel quicumque in ipsis officiis fueritis aut fuerint ordinati et a nobis recepti vel a nostris, neque a gagiis que sunt de quatuor solidis Barchinone, vestrum cuilibet diebus singulis persolvendis, pro quitatione duorum animalium et de septem libris monete similis, singulis vestrum anno quolibet pro vestitu, nisi vobis aut aliis hujusmodi officio deputatis pannum pro vestitu jusserimus, seu nostri successores jusserint exhiberi, nec etiam a juribus per aliam nostram constitutionem vobis specialiter assignatis, videlicet de recipiendis annis singulis quinque libris per vestrum quemlibet pro tenendis armis vobis necessariis condirectis et aliis, dum in hospitio nostro regali jacueritis et jacuerint hiiis officiis deputati, de medio quartono vini recipiendo noctibus singulis, nec non de recipiendis per vos uxerios X libris de donis datis per nos seu successores nostros nobilibus aut baronibus a nobis recipientibus singulum<sup>57</sup> militare et de quinque libris recipiendis de donis similibus datis aliis personis quibuslibet a nobis recipientibus militie singulum<sup>58</sup> memoratum, etiam ubi predictorum aliquis ordinem militie deberet ingredi, de recipiendo medietatem hujus quod ipsis de gratia donaremus:

57 Por *cingulum*.

58 Por *cingulum*.

aut darent nostrorum quilibet successores, neque ab immunitatibus vestris ullo tempore fraudemini, crimine talis punitionis vel majoris digno minime interveniente, nisi per vos vel per quoscumque qui ni ipsis officiis fuerint status assumeretur militie vel alius clericatus, ymo, quamdiu eritis vel fuerint habiles ad predictorum officiorum onera supportanda, ipsa officia completa teneant et teneatis, ubi senectute vel alias servitium facere nequiretis seu nequirent vel successores nostri ad servitium ipsum vos seu alios, qui in ipsis officiis tunc erunt voluerint, licet? <sup>59</sup> non perseveretis in oneribus, fruimini immunitatibus et honoribus antedictis; insuper, ut ferventius personam nostram possitis et possint equitando, ut ad eos pre ceteris spectat, continue custodire, quoscumque equos qui ad armandum ad camerlengorum nostrorum cognitionem apti inventi fuerint, quantum vobis vel ipsis decostaverint, emendabimus, si quocumque modo moriantur vel aliter destruerentur ac illos volumus modo simili per successores nostros quoslibet emendari. Postremo, volentes vos et alios qui in prenominatis officiis fuerint in hoc privilegiare pre ceteris, ordinatione generali facta in contrarium non obstante, volumus quod absentes vel aliter impediti gagia et jura vestra prescripta et alia, si que per nostram aliam ordinationem et constitutiones regias vobis fuerint assignata, minime amittatis. Mandantes itaque quibuscumque fidelibus nostris officialibus ut, in quantum ad eorum officium spectabit, predicta observent et observari faciant cum effectu. Datum Perpiniani sub nostra bulla plumbea etc. Unde, cum per suplicationem dictorum uxerorum et servientum armorum nobis fuerit intimatum quod littera ipsa, ex vitio carte in qua scripta fuerat abolita in aliqua sui parte seu deleta, ad eorum humilem supplicationem litteram ipsam presentibus ex integro inseri mandavimus, ut eadem utantur uxerii <sup>60</sup> et servientes armorum a die ejus date juxta illius contentia et tenorem. Hec itaque per quoslibet nostros officiales precipimus inviolabiliter observari. Datum etc.

CLXV.—*Dispensatio super practica sanctione.*

Memimus illustrissimum dominum Regem Alffonsum bone memorie, genitorem nostrum, habito provido consilio, quandam ordinationem seu practicam sanctionem edidisse et super ea quandam declarationem seu mandatum fecisse, ut clericus non conjugatus, licet tonsuram non portet sed laycaliter incedat, non eligatur seu admittatur ullatenus ad laycale officium quod publicum auctoritate et utilitate existat. Nunc autem pro parte Berengarii Bertarndi camporis Barchino-

---

59 Hay una mancha sobre la supuesta palabra *licet* que impide su clara lectura.

60 *Uxerii.*

ne nobis extitit supplicatum ut ipsum ad officium campsoe et tenendum capibrevia jurata, prout alii campsoes Barchinone tenent, admitti facere dignaremur, dicta ordinatione seu metu pene in eadem apposite non obstante. Nos vero, dicta supplicatione admissa, vobis concedimus quod dictum .G. ad dictum campsoe officium et scribendum ac tenendum capibrevia jurata, dum tamen absque tonsura et cum habitu laycali incedat et ydonee assecurat quod, si contingat ipsum conveniri vel impeti ratione dicti officii, clericali privilegio non utetur, non obstante dicta ordinatione seu pena in eadem apposita, prout assuetum est fieri, admittere valeatis. Datum etc.

CLXVI.—*Dispensatio super practica sanctione.*

Regalis excellentia, cum subditorum suorum fidelium supplicationes admittit et eorum petitionibus affectu benivolo condescendit, suum extollit solium et ad serviendum devotorum animos excitat incessanter. Hinc est quod nos, ob servitia per fidelem nostrum... nobis diutius prestita fideliter et devote, quique nunc magestati nostre instanter et humiliter <sup>61</sup> supplicavit, non obstante quadam pragmatica sanctione per nos in contrarium dudum edita super eo, eidem .t., qui temporibus retroactis super aliquibus casibus tonsuram et privilegium clericale allegaverat, tenore presentis gratiose duxerimus concedendum ut in civitatibus, villis et locis predictis ad officia advocacionis seu patrocinacionis judicature, juratie, procuracionis et ad omnes administrationes, consilia et tractatus aliaque secularium publica instrumenta, quibus ipsa sanctione privatus seu suspensus fuerat, libere admittatur. Idcirco vobis et unicuique vestrum dicimus et mandamus expresse, firmiter iniungentes quatenus jam dictum G. Petri tam in curiis nostris <sup>62</sup> quam etiam extra alibi ubicumque in capitulis, conciliis, congregationibus ac tractatibus et consiliis comunibus et particularibus quibuscumque, que ad comunem utilitatem et comodum fient rei publice civitatum, villarum et locorum predictorum, ad officia judicature, advocacionis seu patrocinacionis juratie et procuracionis ac omnes administrationes, consilia et tractatus aliaque publica misteria, quocumque nomine vel titulo nuncupentur, quantumcumque sint clericis interdicta, aut ipse .T. tonsuram et privilegium clericale allegaverit, ut premititur, libere admittatis, sanctione nostra jam dicta seu penis et conditionibus in eadem a quadam declaratione super ea postmodum per nos facta apposis et contentis quo ad ipsum... obsistentibus nullo modo, quoniam ex nostre potestatis plenitudine eundem ad omnia et singula supradicta, quibus dicta sanctione practica suspensus, ut predicatur, fuerat et privatus, reducimus et res-

<sup>61</sup> Entre líneas.

<sup>62</sup> Podría leerse también *vestris*.

tituimus ipsumque de premissis habilem et capace[m] facimus ac etiam declaramus, ipsius sanctionis impedimento seu alio quocumque per nos seu de mandato nostro hucusque fact[o] quomodolibet vel indicto minime obsistente, dum tamen idem absque tonsura cum habitu laycali incedat et idonee assecur[et] quod, si contingat ipsum conveniri vel impet[er]i ratione dicti officii, clericali privilegio non utetur. Datum etc.

CLXVII.—*Executoria elongamentorum super comandis.*

Petrus etc. Dilectis et fidelibus universis et singulis officialibus nostris vel eorum locatenentibus, ad quos presentes pervenerint, salutem etc. Cum nos cum alia nostra littera, sub presentis data confecta, elongaverimus .t., vicinum .t. loci, et debitores et fideiussores pro et cum eo obligatos et bona eorum a solutione debitorum que debet christianis usque ad quantitatem tot solidorum ad duos annos, a data dicte littere continue numerandos, prout in eadem littera latius continetur, et in ipsa elongamenti littera comandas duxerimus exceptandas, est tamen intentionis nostre veras et non fictas exceptase comandas. Ideo vobis et unicuique vestrum dicimus et mandamus quatenus, si vobis constiterit per notarium seu notarios qui instrumenta dictarum comandarum confecerint et testes in eisdem instrumentis conscriptos aut aliter legitime juxta forum comandas ipsas fictas fuisse et non veras, eosdem debitores ad solvendum suis creditoribus, nisi in terminis in ipsa elongamenti littera expressatis, minime compellatis. Datum etc.

CLXVIII.—*Guidaticum debitorum.*

Nos Petrus etc. Tenore presentium guidamus et assecuramus vos Dominicam talem, vicinam talis loci, et debitores ac fideiussores cum et pro vobis obligatos et bona vestra et ipsorum, usuris et penis cessantibus quibuscumque, ita quod, durante presenti guidatico, quod durare volumus per tot annos a data presentium in antea continue numerandos, vos seu fideiussores ac debitores jam dicti ad quorumvis instantiam non possitis compelli per nostros officiales quoscumque ad solvendum quocumque debita que debetis <sup>63</sup> quibuscumque personis usque ad quantitatem septingentorum solidorum jaccensium qualicumque de causa, nisi sub forma inferius expressata. Mandantes per presentes gubernatoribus, justitiis, calmedinis ceterisque officialibus nostri, presentibus et futuris, quod asecurato primitus idonee in posse ipsorum, nisi jam asecuratum sit, quod in fine cujuslibet dictorum tot annorum quintam partem dictorum debitorum vestris creditoribus exsolvatis, presens guidaticum

---

63 O debeatis.



vobis et dictis debitoribus et fideiussoribus observent et observari faciant inconcusse et contra mentem ipsorum vos vel ipsorum aliquatenus non molestant. Datum etc.

CLXIX.—*Institutio capelle.*

Nos Petrus etc. Attendentes noviter, fervida devotione compuncti, ad gloriam et laudem Altissimi et ejus matris virginis gloriose et ob nostrorum remissionem peccaminum et salutem animarum parentum et progenitorum nostrorum omniumque fidelium defunctorum instituisse, perpetuo, in capella nostri palatii civitatis Herde sex presbiteratur; atendentes etiam quod in institutione hujusmodi nobis retinuisse et nostris, perpetuo, quod in dictis presbiteratibus et eorum singulis possimus presbiteros assignare, nullum tamen ecclesiasticum beneficium obtinentes, et quod sex ipsi presbiteri vel sacerdotes continue celebrent missarum solemnias et alia divina officia in dicta capella et intersint oris diuturnis pariter et nocturnis; attendentes insuper predictis sex presbiteris seu sacerdotibus certam fecisse donationem et assignationem annuam pro suis vite oneribus sustinendis, videlicet, uni eorum qui loco rectoris habeatur tot solidos .t. monete et cuilibet ceterorum super certis redditibus et juribus nostris in civitate predicta, sicut designantur in instrumento dicte institutionis, anno quolibet persolvendos, prout hec omnia in eodem instrumento serosius tractantur, igitur, volentes dictis presbiteratibus provideri de personis idoneis et quarum operationes ceteros certificent ad salutem, vos talem, .t. diocesis, de cujus vite puritate et conversatione honesta laudabile testimonium peribetur, cum presenti carta nostra omni tempore valitura ad unum dictorum presbiteratum assignamus ac etiam presentamus, ita quod unus sitis de numero dictorum sex presbiterorum et habeatis pensionem annuam dictorum tot solidorum juxta seriem dicti instrumenti institutionis, toto tempore vite vestre, vos vero teneamini hinc ad proxime veniens festum pentecostes sacros suscipere ordines et esse sacerdotis constitutus et postea in dicta capella deservire continue et ibidem pro anima nostra et progenitorum nostrorum ceterumque<sup>64</sup> fidelium defunctorum missas et alia divina officia celebrare. Requirentes et rogantes, instantia qua decet et convenit, venerabilem in Christo patrem episcopum Herdensem ut vos confirmet in beneficio dicti presbiteratus tanquam idoneum et capace, quem eidem cum presenti ad ipsum presbiteratus beneficium ducimus presentandum. Mandantes nichilominus omnibus nostri officialibus et subditis, presentibus et futuris, quatenus dictum .t. pro uno dictorum presbiterorum seu sacerdotum teneant e tractent vobisque respondeant ac responderi faciant de pensione vobis, ut premittitur, assignata. In cujus rei testimonium etc. Datum etc.

64 Por ceterorumque.

CLXX.—*Donatio cujusdam hospicii.*

Nos Petrus etc. Volentes vos fidelem nostrum Guillelmum... de domo nostra, quem ad hec et alia nostra servitia nobis prestita fideliter atque prompte multiplici reddunt idoneum, gratia prosequi et favore, tenore presentis carte nostre perpetue valiture damus et concedimus vobis vestris et quibus volueritis, perpetuo, hospicium illud situm in Villaffrancha Confluentis, quod fuit Mathei ville jamdicte, quod ex causis legitimis atque veris nostre est curie acquisitum et omne jus quod dictus Matheus in hospicio habebat predicto et ad ipsum pertinebat quacumque ratione seu causa. Ita videlicet, quod vos dictus Guillelmus ac quos volueritis ex nunc dictum hospicium et omne jus dicto Matheo pertinens in eodem, ut prefertur, teneatis et possideatis et habere et tenere possitis et valeatis absque contradictione cujusquam ad dandum, vendendum et alienandum et ad faciendum de hiis omnibus ad vestras vestrorumque voluntates, prout melius scribi potest et intelligi atque dici ad salvamentum vestri et vestrarum et bonum et sincerum etiam intellectum. Concedentes vobis super predictis omne jus nobis pertinens in hospicio antedicto pretextu acquisitionis predictae et omnes etiam actiones mixtas, utiles et directas quibus in iudicio et extra experiri valeatis, si et prout nos possemus pretextu acquisitionis ipsius, antequam vobis donationem hujusmodi faceremus. Intendimus tamen quod remaneat nobis salvum in omnibus et per omnia jus quodcumque, si quid in predicto hospicio nobis tanquam principi et comiti Rossilionis et Ceritanie, vel tanquam directo domino, ante dictam acquisitionem competeat et competere poterat, vel debebat, et salvus in omnibus iuribus aliorum dominorum, si qui sunt, directorum. Mandantes gubernatori et procuratoribus nostris Rossilionis et Ceritanie quod vos dictum Guillelmum vel quem volueritis nomine vestro in possessionem pacificam hospicii antedicti inducant et inductum manteneant et defendant a quibusvis oppressionibus et offensis. In cujus rei testimonium presentem fieri iussimus etc. Datum etc.

CLXXI.—*Collatio cujusdam capellanie.*

Nos Petrus etc. Attendentes beneficium cappellanie vocate imperatricis constitutum in ecclesia domus hospitalis sancti Iohannis Iherosolimitani civitatis Valencie, cujus jus patronatus ad nos de jure noscitur pertinere, vacare per mortem illius qui dictum obtinebat beneficium, idcirco vobis..., de cujus vite puritate et conversatione honesta laudabile testimonium perhibetur, cum presenti carta nostra dictum beneficium ducimus conferendum, venerabilem in Christo patrem... episcopum, aut sedis Valencie, eadem sede vacante, vicarium rogantes et requirentes ut vos confirmet in beneficio antedicto, tanquam idoneum et capacem,

quem eidem cum presenti ad ipsum beneficium ducimus presentandum. Mandantes nihilominus omnibus nostris officialibus et subditis, presentibus et futuris, quod vos dictum... pro presbitero dicti beneficii teneant et tractent vobisque respondeant et responderi faciant de juribus beneficii antedicti. In cujus rei testimonium presentem fieri etc. Datum etc.

(*Concluírá.*)

M. USÓN SESÉ.